
Rettorica
Di me Luigi Moresi
Cherico Regolare
D. Teatino usaba
nell'Anno 1763







DE ARTE RHETORICA

LIBRI QUINQUE,

Lectissimis veterum

AUCTORUM ÆTATIS AUREÆ,

Perpetuisque Exemplis illustrati;

AUCTORE

P. DOMINICO DECOLONIA

Societatis JESU Presbytero.

Accessere in hac novissima editione

INSTITUTIONES POETICÆ,

AUCTORE

P. JOSEPHO JUVENCIO

Ex eadem Societate.





VENETIIS, MDCCXLIX.

Ex Typographia Remondiniana.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.




TYPOGRAPHUS
LECTORIBUS S. D.



Rtem Rhetoricam Dominici Decolonia sæpius multorum typis editam, atque incredibili plausu semper exceptam, dolebant nonnulli, minus facile induci in gymnasia posse, quod & mole grandior videretur, quam quæ commode posset a Pueris gestari, & nihil in ea de Arte poetica, quæ una cum Rhetorica tradi solet, nisi obiter præciperetur. Nos, detractis minus necessariis, adjunctisque Josephi Juvencii Institutionibus poeticis, quæ multis partibus breviores e-

rant, quam ea quæ diversis ex locis, præsertim ex ipso fine, sustuleramus, utrique incommodo occurrimus. Nec vero veremur, ne sapientissimo Auctori, quem adhuc in vivis agere audimus, consilium hoc nostrum minus probetur. Nam, quum nonnisi hac ratione adolescentium studiis, quibus unice favet, satisfieri potuisse intellexerit, malet profecto has tanquam epulas, a se structas, paulo aliter conditas apponi, quam omnino mensæ non inferri. Si quos vero sincera illa ac veluti autographa magis delectarint, eos quidem nobis molestos fore nequaquam putamus. Ita enim hæc paululum immutata damus, ut nativa illa ac vetera non tollamus: quibus, si volent, concedentibus nobis, utantur, nosque his uti, queis volumus, sine interpellatione sinant. Valete.

AU-



AUCTOR
LECTORI.



Praeceptis paucis brevibusque; exemplis vero bene multis constat haec Ars Rhetorica. Praecepta hausimus ex vetustissimis Graecorum, Latinorumque Rhetorum fontibus; Aristotelem dico, Ciceronem, Quintilianum, Demetrium Phalereum, Hermogenem, atque Longinum. Exempla, quae lectissima sunt, perpetuaque, summo studio, singularique diligentia selegimus fere ex elegantissimis aetatis aureae Scriptoribus. Atque hoc exquisito veterum exemplorum delectu copiaque, nostrum hunc qualemcumque laborem speramus posse commendari, si cetera omnia desunt; illumque etiam politioribus, & urbanis hominibus nec inutilem, nec injucundum, hoc saltem nomine; fore confidimus.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione; ed Approbazione del P. Fra Paolo Tommaso Manuelli Inquisitor Generale del S. Officio di Venezia nel Libro intitolato *De Arte Rhetorica Libri quinque, &c. Auctore Patre Dominico Decolonia* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza, che possi esser stampato in Bassano, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Luglio 1743.

(Zan Piero Pasqualigo Rif.
(Zuanne Querini Proc. Rif.

Michel Angelo Marino Segr.

ELE-



ELEMENTA RHETORICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Fabula.



Uid est Fabula?

R. Est Oratio falsa veritatem effingens. Talis est apud Horatium (a) elegantissima illa Fabella equi, hominis opem adversus cervum implorantis.

Cervus equum, pugna melior, communibus herbis
Pellebat; donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit.
Sed postquam victor (b) violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frænum depulit ore.

A 4 Vide

(a) *Epist.* 10. *Lib.* 1.
(b) *Violens pro violentus, vox parum usitata.*

Vide quam ſolerter Horatius ſub illis Fabulæ involucris, & quaſi integumentis, verum ac rectum nos doceat, & nos repente a levi illa in ſpeciem narratiuncula ad veritatem traducat, tribus illis qui ſequuntur verſibus:

Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus; atque
Serviet æternum, quia parvo neſciet uti.

§. I. De variis Fabularum generibus.

Quot *ſunt genera Fabularum?*
R. Tria numerantur ab Aphthonio; & a Theone Sophiſta, qui Rhetoricas exercitationes, ſeu progymnaſmata (ſic enim appellant) Tyronibus admodum utilia, nobis ſcripto reliquere. Tria igitur ſtatuunt genera Fabularum. Aliæ ſunt Rationales, aliæ Morales, aliæ Mixtæ.

§. II. De Fabula rationali, ſive Parabola.

Quid *eſt Fabula Rationalis, ſeu Parabola?*
R. Fabulæ Rationales ſunt illæ, quibus ad mores inſtruendos fingimus ab homine dictum, vel factum quidpiam; quod tamen res ipſa neque dictum fuit, neque factum, ſed tamen dici, vel fieri omnino potuit. Hujuſmodi ſunt Divinæ illæ Parabolæ de Virginibus decem; de Divite & Inope, de Filio Prodigo, aliæque, quibus Chriſtus Dominus Apoſtolos, & circumfuſam plebem ad omnem virtutem erudiebat: (a) *Sine Parabolis non loquebatur eis:* in-

(a) *Matth.* 14.

inquit Sacra Pagina; tum ut se ad rudem populi captum accommodaret, tum etiam in primis, ut serviret Palæstinorum moribus ac consuetudini, apud quos nimirum hujusmodi Parabolæ majorem in modum erant usitatæ, & unde in reliquas Orientis partes dimanarunt.

Rationales id genus Fabulas, seu Parabolas circiter duodecim habes in aureolo Phædri libello. Exemplum esto hæc, quam hic affero.

Æsopus & petulans.

(a) Æsopo quidam petulans lapidem impegerat:
Tanto, (b) inquit, melior; assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: plus non habeo mehercule:
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuasus ille fecit quod monitus fuit.
Sed spes fefellit impudentem audaciam;
Comprehensus namque pœnas persolvit cruce.

§. III. De Fabula Morali, sive Apologo.

QUid est *Fabula Moralis, seu Apologus?*
R. Est illa, quæ belluarum mores & indolem exprimit ad mores hominum informandos. Morales hujusmodi Fabulæ dicuntur *Æsopicæ*, non quod Æsopum auctorem habeant, ut vulgus existimat, cum longissime ante Æsopi tempora (c) ab Homero, (d) & Hesiodo fuerint usurpatæ; sed quod valde fuerunt in deliciis Æso-

(a) *Lib. 3. Fab. 5.*
(b) *Inquit Æsopus.*
(c) *Æsopus floruit anno 185. a Roma condita.*
(d) *Homerus Poetarum Græcorum princeps vixit mille circiter annis ante Christum.*

Æsopo, qui illas admodum ingeniose tractavit. Interdum etiam non solum feræ, sed arbores quoque & plantæ, mallei, incudes, aliæque res hujusmodi, loquentes inducuntur. Exquisitissimum Fabulæ Moralis exemplum habes in hoc Phædri Apologo:

Rana Rupta & Bos.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quodam Rana conspexit bovem;
Et tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem; tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior?
Illi negarunt: rursus intendit cutem
Majore nisu; & simili quæsivit modo,
Quis major esset? illi dixerunt, bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

Quantopere valeat hic Apologus ad nostros mores emendandos, satis liquet ex primo versiculo:

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

Quapropter vir antiquis comparandus Julius Cæsar Scaliger ait in sua Poetica, Apologum sic appellari, quasi ἀπὸ λόγου λόγον, quasi si aliud palam & aperte dicat, aliud clam innuat doceatque, quemadmodum Allegoria.

Quid interest inter Apologum & Parabolam?
R. Hoc interest, quod Apologus sit earum rerum, quæ fieri omnino nequeunt; neque enim belluæ loqui possunt; Parabola vero est earum rerum, quæ si reipsa non sunt, esse certe quidem potuerunt.

§. IV.

§. IV. De Fabula Mixta.

QUid *est Fabula Mixta?*
R. Est ea, quæ ex Rationalis, & Moralis admixtione componitur, seu in qua homines cum brutis sermocinari finguntur. Eximium Fabulæ Mixtæ exemplum reperies apud Justinum, Historiarum libro XLIII. cap. IV. Hanc opportune adhibuit Regulus quidam ad concitandos veterum Gallorum animos contra Massilienses, qui ex Asia nuper in Ligurum regionem advecti, locique amœnitate capti, condendæ urbis locum ab incolis precario impetraverant.

Canis & Pastor. Fabula Mixta.

Canis aliquando partu gravida locum a Pastore precario petiit, in quo pareret: quo obtento, iterato petiit, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret. Ad extremum adultis catulis: fulta domestico præsidio proprietatem loci sibi vindicavit. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros.

Quantum porro valuerit hæc Fabula, continuo subjungit Justinus: *His*, inquit, *incitatus Rex insidias Massiliensibus extruxit.*

§. V. De legibus & artificio Fabulæ.

QUanam *est prima ac præcipua Fabulæ lex?*
R. Prima hæc est lex, ut Fabula quælibet adjunctam habeat suam interpretationem, qua moralis illius sensus breviter explicetur: quam interpretationem quasi Fabulæ animam ausim appellare. Hæc interpretatio, si ponatur post Fabulam, vocatur ἐπιμύθιον; sive *Affabulatio*, si vero ponatur initio, vocatur προμύθιον, quasi *Præ-*

fabulatio, si ita loqui fas esset. Ceterum initione ponas, an fine, non refert maximopere.

Quanam est altera lex Fabulæ?
R. Secunda lex hæc est, ut Fabulæ narratio sit perspicua, probabilis, brevis, & jucunda. Verum de illis quatuor narrationis cum Fabulosæ, tum Historicæ virtutibus, itemque de Figuris, quibus utraque potest illuminari, capite subsequenti dicturi sumus.

Quomodonam probabilis reddi potest, veroque similis Fabula, qua nimirum ficta semper res est & commentitia, ac persæpe etiam incredibilis, fideique prorsus absona, quales sunt Apologi, qui belluis humanum sermonem affingunt?
R. Fabulæ, quantumvis fictitiæ, quamdam tamen inesse probabilitatem, ac verisimilitudinem, si sua cuilibet animanti servetur indoles ac suum ingenium: si Vulpem facias versipellem & subdolam; Lupum rapacem & truculentum; Agnum mitem & simplicem; ac ceteræ demum belluæ germanis propriisque suis coloribus depingantur. Hinc sapienter monet Horatius in arte Poetica, Poetæ mendacia ad veritatem accedere omnino debere:

Ficta voluptatis caussa sint proxima veris.

Et alio loco ejusdem Poeticæ.

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet;
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

§. VI. De utilitate Fabulæ.

Q*Uanam est utilitas Fabulæ?*
R. Mirabiles quosdam usus habet Fabula, si in loco ac tempore adhibeatur, ut par est;
Pri-

Primo enim mirum in modum valet ad exhilarandos recreandosque auditorum animos, & ad conciliandam attentionem, quæ delectationi solet esse conjuncta. Hac arte sibi paravit olim attentionem summus Orator Demosthenes.

Cum enim, licet de rebus gravissimis agens, fastidiose tamen & oscitanter audiretur ab Atheniensibus, hac eleganti Fabella repente illorum aures & animos ad audiendum convertit.

Asini umbra, Fabula.

Adolescens æstivo tempore Athenis Megaram profecturus, asinum conduxit; cumque effervescente jam meridie, solis ardor cœpisset esse vehementior, vitandi caloris caussa, sub asini ventrem se conjecit, ut umbram inde captaret. Ast (a) *Agaso, qui locaverat asinum, hinc hominem serio proturbare, asserens se nihil nisi asinum, non vero asini umbram locasse: alter contra affirmare, se cum asino pariter illius umbram conduxisse:* Cum autem vidisset Demosthenes captos hac Fabula Judices risu corruere ac pene emori, discessum repente paravit, vel parare se finxit: sed rogantibus enixe Atheniensibus, ut Fabulæ quod reliquum erat perficeret, *Itane vero*, mutata voce inquit, (b) *de asini umbra audire vultis, de rebus gravibus & seriis non vultis?* & illos hoc artificio ab oscitantia tædioque ad summam quamdam audiendi alacritatem traduxit.

Quænam est altera utilitas Fabulæ?

R. Fabula non solum valet ad delectandum, sed, quod caput est, facit etiam in primis ad docendum, ad movendum, & ad corruptos hominum mores emendandos. Hic etenim est, quemadmodum Philosophiæ, sic etiam Fabulæ laudabilis

(a) Italice: *Mulattiere, Vetturale.*
(b) *Plutarchus in vita Demosthenis.*

bilis ſcopus, ut utraque Mortales ad honeſtatis ac virtutis ſtudium a vitiorum fœditate traducat. Sed Philoſophus & Fabulator diverſis itineribus eodem contendunt. Philoſophus objurgat vitia palam & aperte, ſine ambagibus & integumentis: unde offenſi perſæpe improborum animi ſalutare monitum aſpernantur ac reſpuunt, *caſtigatique remordent*, ut inquit Juvenalis.

At Poeta vitium impugnat, quaſi aliud agens, ac veluti (a) per cuniculos, & monitorum auſteritatem Fabularum condimento mitigat: ut nempe captus ac delinitus innoxiæ voluptatis illecebris animus, ſalutarem medicinam libenter admittat, ut ſapienter monet Lucretius lib. 1. & 4.

Ac veluti pueris abſinthia tetra (b) medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur:
Sed potius tali facto recreata valeſcat.

Quid enim aptius, v. gr. ad inanium promiſſorum tumorem ſine cujuſquam offenſione caſtigandum, quam hæc lepidiſſima Phædri de monte parturiente Fabella? (c)

Mons parturiens.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit. Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui magna cum minaris, extricas nihil.

Quo etiam ingenioſe alludit Horatius in arte Poetica:

Quid

(a) Ital. *Per via di Mine*. (b) Ideſt, *medici*.
(c) *Lib.* 4.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Ad hanc Fabulæ utilitatem pertinet etiam quod ait idem Horatius in Sat. 1. l. 1.

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur.

Quo veterum exemplo probari potest, Fabulam ad docendos animos & affectus concitandos utilem esse?

R. Exemplo Menenii Agrippæ, qui plebem Romanam, quæ graviter offensa in montem Aventinum aliquando secesserat, ad Patrum auctoritatem concordiamque revocavit narratiuncula Apologi de membris humanis adversus stomachum conspirantibus; & quod nec legum, nec magistratus auctoritas potuerat, id fictitiæ narrationis blandimento perfecit. Apologum sic narrat T. Livius Lib. 2.

Venter & reliqua humani Corporis membra. Apologus.

Tempore quo in homine, non ut nunc omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui, (a) *conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoque haud segne mini-*

(a) *Supple.* ajebat *vel* narrabat.

ligere poteris ex aureo illo Fabii Quintiliani præcepto: *Prima sit Orationis virtus perspicuitas.* Quo spectat etiam quod eodem capite inculcat idem Fabius: *Dilucida & negligenter quoque audientibus aperta sit ..... ut in animum, tamquam sol in oculos, etiamsi non intendatur, incurrat. Quare non ut intelligere possit auditor, sed ne omnino possit non intelligere, curandum.*

Quod si obscuritatis vitio laboret Narratio; jure ac merito cadet in illius auctorem, quod de obscurissimo quodam Scriptore jactatum est a nobilissimo (a) Poeta:

Quid juvat obscuris involvere scripta latebris;
  Ne pateant animi sensa? tacere potes.

Cedò ex veteribus Exemplum aliquod Narrationis perspicuæ.

R. Instar omnium esse potest laudatissimum illud Epigramma (b) Ausonii de Venere armata & de Pallade.

In Venerem armatam.

Armatam vidit Venerem (c) Lacedæmone Pallas;
  Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus: Armatam cur me, temeraria, temnis?
  Quæ, quo te vici tempore, *Inermis eram?*

Quomodo fiet probabilis narratio?

R. 1. Si is, qui narrat, sit notæ probitatis & fidei.

2. Si rei gestæ seriem exponat sine fuco: qua simplicitate nimirum atque candore plus multo valebit ad persuadendum, quam aliis calamistris, lenociniis & hyperbole.

3. Si

(a) *Scævola Sammarthano.* (b) *Ausonius egregius Rhetor & Poeta, Præceptor Imperatoris Gratiani, fuit Consul Anno 379.*

(c) *Lacedæmonii Venerem armatam colebant.*

3. Si nihil afferat fidei absonum; & quod abhorreat a communi hominum sensu; quia, ut recte admonet Horatius in arte Poetica,

Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi:

Quod si forte rei veræ, sed incredibili fidem facere velis, usurpare poteris sapiens illud cujusdam Veteris dictum: *Multa esse vera, quæ tamen non sint verisimilia; & probabile omnino esse, quamplurima contra probabilitatem contingere.*

4. Denique si clare aperteque exponat rerum circumstantias, & adjuncta personarum, locorum ac temporum; unde vel maxime pendet facti probabilitas. Ita Cicero in mirabili illa Narratione Miloniana, probabile reddit a circumstantiis personarum quod narrat de insidiis Miloni a Clodio paratis. *Cur igitur*, inquit, *victus est?* (Clodius) *Quia non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.*

QUid facto est opus, ut brevis sit Narratio?

R. Brevis erit, si narrandi initium altius non repetas, & *ab ovo*, ut ajunt; quemadmodum ineptus ille, quem ridet Horatius:

Qui gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:

Sed si inde sumas exordium, unde necesse est.

2. Si non inutiles, putidasque circumstantias; quæ nihil faciant ad rem, in Narrationem tuam infarcias. Quid enim opus est dicere, v. gr. *In portum veni, navem paratam aspexi, de pretio conveni, sublata sunt anchoræ, e portu solvi?* Satis erat dixisse: *e portu solvi.*

Vide tamen etiam atque etiam, ne nimia brevitas obscuritatem afferat orationi: ut obser-

vat

vat Fabius. *Vitanda*, inquit, *illa Sallustiana brevitas & abruptum orationis genus*. Et alio loco: *Narratio*, inquit, *præcisa non tam Narratio vocari potest quam confusio*. Audi rursus Horatium nostrum:

— Brevis esse laboro:
Obscurus fio.

Q*Ua ratione suavis reddetur Narratio?*

R. Suavis erit, 1. si utamur verbis leniter & numerose sonantibus. 2. Si ita collocentur verba, ut nec hiulcus, nec asper sit illorum concursus. 3. Si, quæ narramus, sint magna, nova & inexpectata. 4. Si adhibeantur certæ quædam narrandi formulæ Tullio perfamiliares; cum, v. g. pro tempore præterito præsens usurpatur; item cum plures infinitivi subaudito verbo junguntur, ut cum ait: *Rex primo nihil metuere, nihil suspicari, dies unus & alter intercedere*. Ita etiam Cæsar, lib. 1. de Bello Gallico: *Divitiacus multis cum lacrymis Cæsarem complexus obsecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem statueret: Scire se illa esse vera, nec quemquam ex eo plus quam se doloris capere*. Supple, *dixit*. Ita Virgilius in mirificis hisce versibus Lib. VI. Æneidos.

At Danaum Proceres, Agamemnoniæque Phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga.
Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.

5. Denique suavis erit Narratio, si diversis figuris illuminetur, & si habeat admirationes, expectationes, suspensiones, exitus inopinatos & in-

& interpositos motus animorum, dolorem, lætitiam, metum, cupiditatem.

Harum omnium rerum admirabile quoddam exemplum habes in jucundissima illa Narratione de Dionysio Syracusarum Tyranno, & de Damocle quodam illius Parasito, in quam intueri satis non poterunt Tyrones, ut suaviter & festive narrare discant.

Dionysius Syracusarum Tyrannus & Damocles.

Jucundæ Narrationis Exemplum ex Tuscul. lib. 5.

Cum quidem ex ejus assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse, Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdem degustare, & fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, (a) *textili stragulo, magnificis operibus picto,* (b) *abacosque complures ornavit argento auroque cælato: Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque nutum ejus intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ; incendebantur odores; mensæ conquisitissimis epulis extruebantur: Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e* (c) *lacunari, seta equina aptum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus: Itaque nec pulchros illos ministratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat*

(a) Ital. *Con arazzi ricamati a superbissimi lavori.*
(b) *Credenze.* (c) *Soffitta.*

gebat ad mensam: jam ipsa defluebant coronæ: denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satis ne videtur declarasse Dionysius, nihil ei esse beatum, cui semper aliquis terror impendeat?

Ad hanc suavissimam Narrationem allusit Horatius, cum ait Odarum lib. 3.

> Districtus ensis cui super impia
> Cervice pendet, non Siculæ dapes
> Dulcem elaborabunt saporem,
> Non avium, citharæque cantus
> Somnum reducent, &c.

§. II. De Schematis, seu Figuris, quibus illuminari potest Narratio.

Quid est Figura?

R. Figura, seu Schema est ornamentum quoddam orationis, seu loquendi modus illustrior, & a communi consuetudine remotus; cujusmodi sunt hæc Ciceronis verba: *O Dii immortales, ubinam gentium sumus! . . O scelus, o portentum in ultimas terras amandandum!* Itemque illa Virgilii verba in Ecloga II.

> Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?

Vel cum idem Virgilius Æneid. VI. Sibyllam ita loquentem inducit:

> —— Bella, horrida bella,
> Et multo Tibrim spumantem sanguine cerno:

Quis enim non videt, hæc orationis lumina & illas dicendi quasi faces in quotidiano communique sermone adhiberi nequaquam solere?

Quibus potissimum Figuris erit illuminanda narratio, ut sit suavis?

R. Præ-

R: Præcipue Narrationis Figuræ sunt Hypotyposis, Suspensio, sive Sustentatio, Exclamatio, Communicatio, & Sermocinatio, sive Dialogismus.

Quid est Hypotyposis?

R. Est figura, qua aliquid tam vivis, spirantibusque, ut ita loquar, coloribus pingitur atque narratur, ut non tam audiri, vel legi, quam spectari & oculis quasi subjici videatur. Ita Cicero V. in Verrem Gavii cujusdem Civis Romani supplicium narrat per Hypotyposim: *Cædebatur virgis in medio foro Messanæ* (a) *C. Romanus: cum interea nullus gemitus, nulla alia vox istius miseri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hac: Civis Romanus sum.*

Sic etiam Virgilius narrator & rerum imitator plane mirificus, Didonis & Æneæ venationem describens, rem quasi sub oculos ponit his versibus egregiis:

—— Ostroque insignis & auro
Stat sonipes, ac fræna ferox spumantia mandit.

Idemque Poeta libro quinto, Entelli & Daretis pugnam pene sub aspectum ita subjicit:

Hæc fatus (b) duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa (c) lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit *Arena*.
Constitit extemplo in digitos arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras
. . . .
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto,

Nunc

(a) *In Sicilia, vulgo* Messina.
(a) Entellus. (c) *Versus hypermeter*.

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus Heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta
. . . .
Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem, mistosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves.

Quid est Suspensio?

R. Suspensio, seu Sustentatio, est Figura; qua Orator ad sibi conciliandam attentionem, & ad excitandos atque arrigendos auditorum animos, illos tenet aliquandiu suspensos & incertos quid dicturus sit. Ita Tullius contra Verrem: *Etiamnum mihi expectare videmini, judices, quid deinde factum sit.... Expectate facinus quam vultis improbum, vincam tamen expectationem vestram.*

Quid est Exclamatio?

R. Est vocis elatio, sive contentio, qua interjectione vel adhibita, vel subaudita, vehementiorem animi motum significamus, & rei magnitudinem exprimimus. Ita Tullius, post narratum indignissimum illud Gavii, licet Civis Romani, supplicium, de quo paulo supra, in has doloris & indignationis voces subito erumpit: (a) *O nomen dulce libertatis! O jus eximium nostræ civitatis! O lex Porcia legesque Semproniæ! o graviter desiderata & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas! huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in Provincia populi R. in*

(a) *Cic. in Verrem.*

in oppido Fœderatorum, ab eo qui beneficio populi R. fasces & secures haberet, deligatus in foro virgis caderetur? Quid cum ignes, ardentesque laminæ, ceterique cruciatus admovebantur? si te illius acerba imploratio, & vox miserabilis non inhibebat, ne civium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu & gemitu maximo commovebare? In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem Romanum esse diceret?

Eodem plane modo Æneas apud Virgilium lib. 2. equi Trojani fatalem ingressum primo narrat:

Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, & stupea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros
Fœta armis: circum pueri innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.

Deinde per summum dolorem repente sic exclamat:

O patria, o divum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores, cæcique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

Quid est Communicatio?

R. Est figura, qua Orator caussæ suæ confidens deliberat cum iis ipsis, apud quos, vel contra quos dicturus est, illos nimirum consulens quid acturus sit, vel etiam quid ipsimet in simili causa essent acturi. Ita Cicero per summam fiduciam videtur consilia sua communicare cum adversario suo Verre, illumque quasi consulere in hunc modum;

dum; *Si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum* (a)? *& si tibi ignoto apud ignotos, apud Barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos, nobile & illustre apud omnes nomen tuæ civitatis profuisset; ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum Civem se Romanum esse diceret, apud te Prætorem, si non effugium, ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit?*

Quid denique est Sermocinatio, seu Dialogismus? R. Est Figura, qua duo, vel plures homines inducuntur loquentes, aut secum ipsi, aut cum aliis. Lepidum illius exemplum habes in hac pereleganti Narratione Ciceroniana libri primi Tusculanarum quæstionum.

Diogenes & amici, Narratio per Dialogismum.

Cum ab amicis rogaretur Diogenes, ubi vellet inhumari, Projicite me, inquit, inhumatum. Tum amici: Volucribusne & feris? Minime vero, inquit, sed bacillum prope me, quo abigam ponitote. Qui (b) *poteris? illi; non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?*

Nec minus festivum videbitur, quod hic subjicio, aliud exemplum ex eodem Tullio, l. 2. de Orat.

Scipio (c) *Nasica & Ennius Poeta.*

Scipio Nasica cum ad Poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini jussu

---

(a) Una hac voce D. Paulus civis Romanus cruciatus, & mortem vitavit. *Act.* 22. (b) pro *Quomodo*
(c) *Erat cognomen Scipionis illius, qui etiam Corculum vocabatur ob summam prudentiam.*

dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, & eum a janua quæreret, exclamat Nasica se domi non esse. Tum Ennius, Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica: Homo es impudens. ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non esse: tu mihi non credis ipsi.

§. III. Varia Narrationum genera & selecta illarum Exempla.

Quotuplex est Narrationis genus?

R. Triplex: alia est enim Narratio Poetica, alia Historica, alia Civilis & Oratoria. Narratio Poetica rem fictam exponit, Historica rem gestam; Civilis & Oratoria rem exponit, quæ in controversiam adducitur.

Quid differt inter hæc tria Narrationum genera?

R. Hoc potissimum interest, quod Historicus, & Orator ordinem temporis & rei gestæ seriem in narrando sequentur & servent; contra quam facit Poeta, qui etiam a fine, aut a medio, rem solet ordiri, quomodo Virgilius ab anno septimo excidii Trojani suam Æneidem auspicatur; ut liquet ex hisce Didonis verbis ad Æneam, ad calcem libri primi:

——Nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æstas.

2. Hoc interest, quod Historicus veritatem consectetur, Orator verisimilitudinem; Poeta vero commentitiis etiam fabulis aspergat.

3. Denique hoc interest, quod Historica Narratio sit ferme simplex, brevis ac nuda; Oratoria sit ornatior & fusior; Poetica vero ornamentis abundet, & omnibus artis coloribus picta sit atque polita.

AFfer ex veteribus illustre quodpiam exemplum Narrationis Poeticæ.

R. Instar omnium esto Ovidiana illa Narratio de Dædalo, & de infelici Icaro, in qua omnes, quas diximus, virtutes dotesque optimo jure miraberis.

Dædalus & Icarus. Narratio Poetica.
Metamorph. lib. 8.

(a) Dædalus interea Creten, longumque perosus
Exilium, tactusque (b) loci natalis amore,
Clausus erat pelago. Terras licet, inquit, & undas
Obstruat, at cœlum certe patet; ibimus illac:
Omnia possideat, non possidet aera Minos.
Dixit, & ignotas animum dimittit in artes,
Naturamque novat: nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breviore sequente,
Ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tum lino medias & ceris alligat imas,
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat, & ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima cœpto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.
Instruit & natum; Medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo: ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola: nec te spectare (c) Booten
Aut (d) Helicem jubeo, strictumque (e)
Orionis ensem.

(a) *Dædalus in labyrinthum, cujus auctor fuerat, conjectus fuit a Minoe, ob Theseum ejus consilio servatum.* (b) *Patriæ, Athenarum.*
(c) *Signum septentrionale.* (d) *Ursam majorem.*
(e) *Sidus quod pingitur cum ense stricto.*

Me duce carpe viam: pariter præcepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genæ maduere seniles,
Et patriæ tremuere manus: dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo; pennisque levatus
Antevolat, comitique timet (velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aera nido).
Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes.
Et movet ipse suas, & nati respicit alas.
. . . .
Cum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deseruitque Ducem, Cœlique cupidine tactus
Altius egit iter. Rapidi vicinia solis
Mollit odoratas pennarum vincula ceras.
Tabuerant ceræ; nudos quatit ille lacertos
(a) Remigioque carens non ullas percipit auras;
Oraque cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quæ (b) nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, Icare dixit,
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat, pennas aspexit in undis;
Devovitque suas artes, corpusque sepulcro
Condidit; & tellus a nomine dicta sepulti est.

C*Edo vetus quoddam exemplum Narrationis Historicæ.*

R. Habes in veteribus Historiæ Romanæ scriptoribus Narrationes bene multas tam singulari opera artificioque elaboratas, ut nihil supra; in T. Livio 1. Sabinarum raptum; 2. Horatiorum & Curiatiorum pugnam; 3. Lucretiæ mortem, (c) exactos a Bruto Tarquinios, interemptosque a patre proprios filios; 4. Audax Mucii Scævolæ facinus adversus Regem Porsenam; 5. Varios Coriolani eventus; 6. Pugnam Cannensem; 7. Hannibalis cum Scipione congressum Ephesi apud An-

(a) *Alis, quibus quasi remigabat.*
(b) *Icarium mare vocatur.* (c) Ital. *discacciati.*

Antiochum Regem; 8. Supra cætera vero omnia mirificum illud ejusdem Hannibalis iter in Italiam, per Hispaniam, per Pyrenæos, per Gallias, per Alpes & Apenninum; quod exquisitissimum quoddam artis opus existimo.

Habes præterea in Sallustio pugnam adversus Catilinam; in Q. Curtio Tyri obsidionem, singularem Abdalonymi eventum, Alexandri magni mortem, exercitus consternationem, & Reginæ Sisygambis dolorem ac interitum, &c.

Verum sat esto ex omnibus illis Narrationibus unam, aut alteram hoc loco commemorare. Tu ex duabus illis disce omnes.

Horatiorum pugna cum Curiatiis.

Narratio Historica. Ex Livii Hist. Lib. I.

Datur signum, infestisque armis, velut acies, terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Nec his, nec illis periculum suum sed publicum imperium servitiumque obversatur animo; futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, & neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque.

Consertis deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque, & sanguis spectaculo esset, duo Romani super alium alius, vulneratis tribus Albanis, expirantes corruerunt. Ad quorum casum cum clamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox. Ergo ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus sequutu-

ros, ut quemque affectum vulnere corpus fineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat; cum respiciens videt magnis intervallis sequentes; unum haud procul ab sese abesse: in eum magno impetu redit; & dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius cæso hoste, victor secundam pugnam petebat. Tunc clamore (qualis ex insperato faventium solet) Romani adjuvant militem suum, & ille defungi prælio festinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, & alterum Curiatium conficit.

Jamque æquato marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares. (a) Alterum intactum ferro corpus & geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant: alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage, victori objicitur hosti, nec illud prælium fuit. Romanus exultans, Duos, inquit, fratrum Manibus dedi; tertium caussam belli hujusce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Male sustinenti arma gladium superne jugulo defigit, jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt, eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat.

(b) *Abdalonymus ex Olitore rex Sidoniorum factus ab Alexandro* **Magno.**

Ex lib. IV. Q. Curtii.

Erant (c) Hephæstioni hospites clari inter suos juvenes, qui facta ipsis potestate regnandi, negave-

(a) Hæc est recta syntaxis; *Corpus intactum ferro, & victoria geminata dabant alterum ferocem in certamen tertium.*

(b) Alii Abdalominum dicunt.

(c) *Erat is apud Alexandrum gratiosissimus.*

verunt quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephæ*stion magnitudinem animi spernentis quod alii per ferrum ignesque peterent*, Vos quidem macti virtute, *inquit*, estote, qui primi intellexistis quanto majus esset regnum fastidire, quam accipere. Ceterum date aliquem regiæ stirpis, qui meminerit a vobis acceptum habere se regnum. *At illi cum multos imminere tantæ spei cernerent, singulis* (a) *amicos Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantibus, statuunt neminem esse potiorem, quam Abdalonymum quemdam, longa quidem cognatione stirpi regiæ annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. Caussa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat. Intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat.*

Subito deinde, de quibus ante dictum est, cum regiæ vestis insignibus hortum intrant; quem forte steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat. Tunc rege eo salutato, alter ex his, Habitus, inquit, is, quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus (b) *illuvie æternisque sordibus squalidum: Cape regis animum, & in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer. Et cum in regali solio residebis vitæ necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris hujus status, in quo accipis regnum; imo Hercule propter quem.*

Somnio similis res Abdalonymo videbatur. Interdum satisne sani essent, qui tam proterve sibi illuderent, percontabatur. Sed ut cunctanti squalor ablutus est, & injecta vestis purpura auroque distincta, & fides a jurantibus facta; serio jam rex, iisdem comitantibus in regiam pervenit. Fama, ut solet, strenue tota urbe discurrit. Aliorum studium, aliorum indignatio eminebat.

(a) *Ita genuina lectio.*
(b) Ital. *bruttura.*

bat. Ditissimus quisque humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum rex protinus jussit; diuque contemplatus, Corporis, *inquit*, habitus famæ generis non repugnat: sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris. *Tum ille*, Utinam, *inquit*, eodem animo regnum pati, possim. Hæ manus suffecerunt desiderio meo: nihil habenti nihil defuit. *Magnæ indolis speciem ex hoc sermone Abdalonymi cepit.*

C*Edo denique Exemplum Narrationis Oratoriæ.* R. Laudatur ab omnibus & in primis a Quintiliano celebris illa Miloniana Narratio, qua Cicero suspicionem insidiarum a Milone in Clodium tam callide tamque ingeniose detorquet. Sic autem rem agreditur.

Narratio Miloniana.

Milo autem, cum in Senatu fuisset eo die quo Senatus dimissus est, domum venit, calceos, & vestimenta mutavit, paulisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est. Deinde profectus est id temporis, cum jam Clodius, siquidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat; sine uxore, quod nunquam fere: cum (a) *hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda*, (b) *penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu.*

Fit obviam Clodio ante fundum ejus, hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiori impetum: adversi rhedarium occidunt. Cum autem hic de rheda, rejecta penula, desiluisset, seque acri animo defenderet; illi qui erant cum Clodio, gla-

(a) Milo, ironice. (b) *Penula, scupallio obvolutus.*

gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus servos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præsentes fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari viderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & ita esse putarent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis caussa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, judices: insidiator superatus; vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est.

Miloniana illa Narratione nihilo inferiorem existimo hanc alteram Narrationem lepidissimam, qua Tullius ostendit in lib. 3. de Officiis, quam sint perfidi improbique, qui aliud agunt, aliud simulant.

Malus Pythii cuiusdam dolus.
Narratio oratoria.

C. Canius, eques Romanus nec infacetus & satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi caussa contulisset, dictitabat se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui (a) *argentariam faceret Syracusis, venales se quidem hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, uti suis, & simul ad cœnam hominem invitavit in hortos in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, & ab his petivit, ut an-*

(a) *Banchiere.*

ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet.

Ad Cœnam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo. pro se quisque quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces adjiciebantur.

Tum Canius, Quæso, inquit, quid est hoc, Pythi, tantumne piscium? tantumne cymbarum? & ille, Quid mirum? inquit, hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium. Hic (a) *aquatio: hac villa isti carere non possunt.*

Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut venderet. Gravate ille primo: quid multa? impetrat, emit homo cupidus & locuples tanti quanti Pythius voluit, & emit instructos: (b) *nomina facit; negotium conficit..*

Invitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature, scalmum nullum videt (c); *quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. Nullæ (quod sciam) inquit ille; sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar quid accidisset. Stomachari Canius. Sed quid faceret? Nondum enim* (d) *Aquilius Collega & familiaris meus potulerat de dolo malo formulas... Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes, & improbi, & malitiosi sunt.*

CAPUT III.

§. I. De Chria.

Q*Uid est Chria?*

R. Est brevis commemoratio facti, vel dicti

(a) Ital. aut *il bagno*, aut *il luogo, dove vengono a provedersi d' acqua*; ab aquor. aris.

(b) Ital. *fa la scritta, dichiarandosi debitore*,

(c) *Non vede neppure un cavicchio, un piuolo di barca.*

(d) *Aquilius præstans jurisconsultus; pretor fuerat ante Ciceronem.*

cti cujuspiam utilis & memoria digni: unde etiam *Chria* suum nomen invenit a Græco vocabulo Χρεία (a) quod usum, utilitatem, commodum significat.

Quotuplex est Chriarum genus?

R. Triplex. Aliæ versantur in verbis, aliæ in actione, aliæ in utroque consistunt. Seu, ut vulgus Rhetorum loqui solet, aliæ sunt *Verbales*, aliæ *Activæ*, aliæ *Mixtæ*.

Q*Uid est Chria Verbalis?*

R. Ea est, quæ explicat verba graviter ab aliquo & sententiose prolata: qualis est v. gr. Virgilii versus: (b)

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Vel hoc effatum Senecæ: *Nulla est honesta avaritia, nisi temporis*; itemque hi Horatii versus: (c)

Palida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Aut denique sapientissima illa Juvenalis sententia.

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Q*Uid est Chria activa?*

R. Ea est, quæ memorabile aliquod factum exponit, & verbis exornat, ut: *Sapiens Pithagora interrogatus aliquando quam longa esset hominum vita, sese paulisper conspiciendum exhibuit; tum subito ex spectantium oculis evolavit; ut nimirum celeri illa fuga, caducæ, & fugacis mortalium vitæ brevitatem designaret.*

Sic etiam Cotys Thraciæ Rex, cum quidam pardalim, seu pantheram, ferocissimum animal, illi dono misisset; ipse vicissim leonem misit, ne ver-

 bum

(a) *Sunt qui scribunt* Chreia, *sed male.*
(b) *Æneid. 6.* (c) *Odarum lib. 1.*

bum quidem addens: sed malam bestiam sic male pensando, re ipsa hominem prudenter admonuit, par pari, ut est veteri proverbio, esse omnino referendum.

Memorabile quoque in primis & omnibus notum quod referunt Livius & Florus de duobus Tarquinis patre & filio. Cum enim Sextus Tarquinius Tarquinii Superbi regis ultimi Romanorum filius, acceptam a patre contumeliam & injuriam simulans, ad (a) Gabios transfugisset, brevique ad summam apud illos, regiæque pene parem potestatem pervenisset, misit clanculum Romam unum e suis, sciscitatum a patre quidnam demum se facere vellet. Rex ad hæc nihil voce respondit, sed veluti deliberabundus in hortum ædium transiit, sequente filii nuntio. Ibi inambulans tacitus eminentia papaverum capita baculo decussit, & per hasce ambages filium admonuit, primores civitatis esse interficiendos. Quod cum a filio non ita multo post variis artibus factum esset, brevi & consilio & præsidio orbata civitas, fuit in Tarquinii potestatem nullo labore redacta.

Rem sic narrat Ovidius nativo quodam, ut solet, simplicique candore, libro secundo de Fastis.

Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
  Regna, vir injustus; fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias everterat urbes,
  Et Gabios turpi fecerat arte suos.
Namque trium minimus proles manifesta superbi
  In medios hostes nocte silente venit.
Nudarunt gladios: occidite, dixit, inermem;
  Hoc cupiunt fratres, Tarquiniusque pater,
Qui mea crudeli laceravit verbere terga.
  (Dicere ut hoc posset, verbera passus erat.)

Luna

(a) Gabii *Volscorum urbs, ix. millia passuum ab urbe Roma distans.*

Luna fuit, ſpectant juvenem, gladioſque recondunt,
Tergaque deducta veſte notata vident.
Flent quoque, & ut ſecum tueatur bella precantur:
Callidus ignaris annuit ille viris.
Jamque potens miſſo genitorem appellat amico,
Perdendi Gabios quod ſibi monſtret iter.
Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Septus humum rivo lene ſonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit; & virga lilia ſumma metit.
Nuntius ut rediit, decuſſaque lilia dixit,
Filius, agnoſco juſſa parentis, ait.
Nec mora, principibus cæſis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus mœnia nuda ſuis.

Quid eſt Chria mixta?

℞. Eſt ea, quæ Factum aliquod ſermoni conjunctum exponit. Exempla ſi quæris, aliquot ſelecta hic damus.

Exempla Chriæ mixtæ. I.

Marmoream ſtatuam cum aliquando vidiſſet in foro Diogenes Philoſophus, ad illam ſupplex acceſſit, & manum illi quaſi ad ſtipem diu multumque porrexit. Mirantibus valde amicis, & interrogantibus quid porro faceret, reſpondit, Ad repulſam me experior.

II. Exemplum.

Idem Diogenes cum aliquando confertiſſimam populi turbam ſeſe è theatro effundentem vidiſſet, adverſus illam ſolus ingredi totis viribus cœpit, & objurgantibus reſpondit: Hoc in omni vita facere ſtudeo.

III.

III. Exemplum.

Miles Spartanus (a) *intempesta nocte tumulum præteriens cum horribile quoddam spectrum vidisset, stricta lancea, in illud audacter irruit, ita verbis compellans:* Quo me fugis anima bis moritura? *Hoc singulari facto docemur, Faunorum terriculamenta, & inania larvarum ac lemurum ludibria a cordatis fortibusque omnino rideri.*

Q*Uot sunt Chriæ partes, seu Capita?*
R. Chria sive Verbalis, sive Activa, sive Mixta, continetur partibus octo, inquit Aphthonius in *Progymnasmatis*. Sunt autem partes illæ, *Encomium*, *Paraphrasis*, *Caussa*, *Contrarium*, *Simile*, *Exemplum*, *Testimonium veterum*, & *Epilogus*.

Sive ut trita illa, usitataque formula potius utamur: Chria tractanda est,

1. A Laudativo.
2. A Paraphrastico.
3. A Caussâ.
4. A Contrario.
5. A Simili.
6. Ab exemplo.
7. A Testimonio veterum.
8. A Brevi Epilogo.

Quæ singula Capita sigillatim enucleare necesse est.

Quid sibi vult a Laudativo?
R. Significat, in ipso Chriæ initio laudandum esse dicti, vel facti auctorem; ut scilicet ex aucto-

(a) Ital. *di notte, fuor d' ora.*

ctoris laudatione major illius seu dictis, seu factis auctoritas, ac veluti pondus accedat.

Quid hoc sibi vult a Paraphrastico?
R. Idem prorsus ac si diceres, *Ab expositione dicti, vel facti, de quo agitur*. Paraphrasis enim, ut vox Græca satis indicat; est liberior ac copiosior rei explanatio.

Quid illud est a Caussa?
R. Indicat, diligenter investigandam esse, & afferendam caussam illius seu dicti, seu facti, quod pertractandum & amplificandum suscepimus: v. g. Chriæ verbalis argumentum esto hæc sapiens sententia. *Ferenda sunt amicorum vitia*: erit in promptu hæc caussa justissima, quod scilicet *vitiis sine nemo nascitur: optimus ille est qui minus urgetur*, ut ait Horatius.

Quid est a Contrario?
R. Admonet, sententiam nostram ex contrariarum rerum conflictione esse confirmandam; v. g. postquam probaveris *dulce ac decorum esse pro patria mori*, (a) dices e contrario rem esse turpissimam ac (b) propudiosam, si miles pro patria pugnans, inhonesta mortis formidine, terga fugæ convertat. Item postquam ostenderis, otium & desidiam omnium vitiorum fontem ac fomitem esse, dices e contrario laborem & vigilias esse firmissimum morum, integritatis, innocentiæque præsidium.

Quid a simili?
R. Monet, propositam sententiam apta quapiam similitudine exornandam ac illustrandam esse. Ita si laborem & diligentiam commendare velis, dices cum Tullio: *Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis; sic homo ad intelligendum, & agendum natus est*.

Quid

(a) Horat. (b) Ital. *infame*, *Vergognosa*.

Quid vocas ab Exemplo?

R. Hujusce vocis sensus est, rem, quam pertractamus, illustris cujuspiam exempli appositione confirmandam esse. Sit tibi v. g. amplificandum illud: *Dulce & decorum est pro patria mori*, afferes exemplum Codri (a) Atheniensium regis, de quo cecinit Horatius ode. 14. lib. 3. *Codrus pro patria non timidus mori*: vel afferre poteris exemplum Decii Consulis Romani, qui se velato capite, certisque verbis pro patriæ salute ultro devovit.

Quid a Testimonio veterum?

R. Ostendit, nostram sententiam veterum auctorum verbis ac testimonio comprobandam esse. Sit hoc argumentum v. gr. *Injurias esse condonandas potius quam ulciscendas*: usurpabis aureum illud Taciti verbum: *Multa contemptu curantur;* vel hanc ejusdem sententiam homine Christiano dignissimam: *Convicia spreta* (b) *exolescunt*.

Quid demum sibi vult a Brevi Epilogo?

R. Indicat, apta quadam & rotunda verborum conclusione comprehendenda esse quæcumque fusius dicta sunt. Est enim Epilogus brevis & artificiosa clausula, qua colligimus in pauca, quæ fusius commemorata fuere.

Sed quoniam, ut initio diximus, per præcepta longum est iter, per exempla vero expeditum & facile, idcirco operę pretium est aliquod Chriæ exemplum hoc loco subjicere.

§. II.

(a) *Codrus ultimus Atheniensium Rex seipsum neci obtulit pro patriæ salute in bello contra Dorienses*,

(b) Ital. *hanno fine, vanno a terra*.

§. II. Chria verbalis in hanc Virgilii ſententiam. Æneid. 10.

----- Breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ ....

A Laudativo.

Cum optimo cuique Poetæ propoſitum illud fuerit ſemper, ut miſceat utile dulci, hoc eſt, ut delectando doceat, & docendo delectet; neminem tamen adhuc legi Poetam hac in re poetarum principi Virgilio comparandum. Ille enim non ſolum ceteros omnes ante ſe & poſt ſe Græcos Latinoſque Poetas facile vincit elegantia, ſuavitate, judicio, ſplendore, numero, delectuque verborum; non ſolum hoc habet, ut illius verſibus perfectis ingenio, elaboratis induſtria nihil addi poſſit, nihil detrahi, nihil mutari, veriſſimeque de illo dictum olim fuerit, Muſas & Apollinem non aliter in ſuo choro loqui, Jovemque ipſum, ſi ſit Poeta, non alio modo loquuturum; verum etiam, quod caput eſt, ſententiarum gravitate, & frugiferorum, quibus abundat, præceptorum ſapientia, hoc aſſequutus eſt, ut optimus vitæ virtutiſque magiſter jure merito poſſit a nobis appellari. Inter cætera vero documenta, ad vitam inſtituendam & ad mores informandos idonea, quibus aſperſum eſt paſſim divinum illius Poema, ſaluberrimum in primis eſt atque laudabile, quod ait Æneidos libro decimo de brevitate temporis, fluxaque & caduca mortalium vita.

-----Breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ.

A Paraphraſtico.

Ita eſt profecto; tam exiguum tamque arctum

ctum vivendi curriculum nobis a natura circumscriptum est, ut vix bene lucem ingressis sit de hujus mortalis mundi statione decedendum, & vita cum morte commutanda. Nihil nisi temporis punctum quoddam est caduca hæc, quam tantopere deperimus, (a) vita, minimumque est ac pene nullum intervallum illud, quod ortum inter & occasum nostrum interjacet. Fugit retro levis hora, truditur dies die, præcipiti casu fugaces anni sese mutuo pellunt, & adolescentiæ senectus, senectuti mors obrepit improvisa semper & inopinata: quodque gravius est, cum semel effluit brevissimum hoc vitæ tempus, tam irreparabilis est illius lapsus, ut nulla deinde possit ratione revocari.

A Caussa.

Neque vero est, cur adeo parvam temporis usuram nobis ad vivendum concessam jure merito conqueramur. Præterquam quod enim vita, si scias uti, satis longa est, præterea ea certa stabilique lege natos nos esse scimus, ut denique moriamur. Quis enim tam vecors esse potest, qui nesciat hanc esse tritissimam peccati mercedem pœnamque justissimam; hanc esse mortalium conditionem ac sortem; humana omnia caduca esse & fluxa atque mobilia: nihil, quod ortum sit, sempiternum esse posse: definitum esse cuilibet certum quoddam breveque temporis spatium ad felicem in cœlo vitam promerendam? Cumque olim amplioribus terminis circumscripta esset nostra hæc mortalis vita, & in sæcula bene multa progagaretur, eam nostris flagitiis sceleribusque breviorem effecimus; *Semotique prius tarda necessitas letbi corripuit gradum.*

A Con-

(a) Ital. *dietro a cui andiamo sì matti, e sì perduti.*

A Contrario.

Contra vero cum semel post miseræ hujusce vitæ decursum terreni corporis contagione solutus erit noster animus, cum demum inter felices spiritus ævo sempiterno perfruemur in cœlo, nulla jam amplius pertimescenda nobis neque vicissitudo rerum, neque conversio temporum, nec ætatum commutatio: nullus jam erit neque horarum lapsus, nec fluxus dierum, nec annorum sibimet mutuo succedentium cursus. Sed eodem semper hærentes & felicitatis & temporis vestigio, stabili certaque beatitate, æternis sæculorum ætatibus cum Deo ipso potiemur.

A Simili.

O nos igitur male cautos! O numquam satis deplorandam sortem nostram, si æterna hæc solidaque obliti, nihil nisi umbras imaginesque consectemur! Si enim ex veritate magis, quam ex opinione res velimus æstimare, quid demum aliud est fragilis hæc fugaxque vita, nisi levis quidam fumus, qui puncto temporis evanescit? nisi præceps torrens, qui cum vano strepitu celeriter effluit? nisi flosculus brevi marcescens, qui mane oritur, vespere floret, & nocte cadit? nisi umbra quædam & larva inanis, quæ nostras effugit manus,

Par levibus ventis, volucrique simillima somno? (a)

Ab Exemplo.

Testes hoc loco possem appellare ab omni memoria Christanos illos Heroes virosque sapientis-

(a) *Æneid.* 1.

tiſſimos, qui mirificam fugacis vitæ brevitatem tot laboribus, tot vigiliis, tot indefeſſis curis redemptam compenſarunt. Teſtes appellare poſſem tot virgines, tot viros principes, tot nobiles adoleſcentes, qui fragilem hanc rerum humanarum mobilitatem atque inconſtantiam pertæſi, quæcumque apud cæcos mortales prima putantur, pro nihilo duxere; & voluptatum illecebras, ac pernicioſa rerum caducarum blandimenta generoſa quadam alacritate conculcarunt.

A Teſtimonio veterum.

Hoc inculcare Corinthiis voluit Divus Paulus, cum dixit: *Tempus breve eſt.* Hoc ipſum nos remonet ſummus ille vir Jobus, dum afflatus divino Spiritu ſic loquitur: *Breves dies hominis ſunt*: Hæc eadem erat mens vel ipſi quoque Horatio, profano licet homini, cum amicum ſapienter ſic admonet:

(a)Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Et alio loco: *Quid brevi fortes jaculamur ævo multa?*

Hoc denique ſentiebat Phædrus, cum in elegantibus ſuis fabulis hanc veriſſimam protulit vocem.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente cæca meſerum torques ſpiritum?

A Brevi Epilogo.

Cum igitur adeo breve tempus ſit, adeoque irreparabile, relinquitur id unum, ut cogitemus etiam atque etiam nihil eſſe loci ſocordiæ, neque ſegnitiæ; nobis inter tantas anguſtias nequaquam licere eſſe otioſos: miſeros eſſe, qui ſe, per ſummam incuriam, re una omnium pretioſiſſima defraudari patiuntur. Reſtat denique id unum, ut cum celeritate temporis, utendi ce-

(a) *Epiſt lib. 1.*

celeritate certemus, & tamquam ex Torrente quodam, qui rapide dilabitur, celeriter hauriamus.

§. III. Argumenta Chriarum verbalium. Ex Horatio.

1. OMnes eodem cogimur. 2. Vivitur parvo bene. 3. Levius fit patientia quidquid corrigere est nefas. 4. Magnas inter opes inops. *De avaro*. 5. Ira furor brevis est. 6. Multa senem circumveniunt incommoda. 7. Fortes creantur fortibus. 8. Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. 9. Quanto quisque sibi plura negaverit, a Diis plura feret.

Ex Virgilio.

10. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?
11. Facilis descensus Averni.
12. Labor omnia vincit.

Ex Ovidio.

13. Principiis obsta: sero medicina paratur.
14. Otia si tollas, periere cupidinis arcus.
15. ——— Dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.
16. ——— Paupertatemque ferendo
Effecere levem.
17 Livor, iners vitiem, mores non exit in altos,

Ex Juvenali.

18. Fronti nulla fides. 19. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. 20. Nemo repente fit turpissimus. 21. Res est sacra miser. 22. Nobilitas sola est atque unica virtus.

Ex Seneca.

23. Tota vita discendum est mori. 24. Etiam sine magistro vitia discuntur. 25. Qui genus jactat suum, aliena laudat. 26. Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

Ex

Ex Persio.

27. O curas hominum, o quantum est in rebus inane! 28. Virtutem videant intabescantque relicta. *De sceleratis.*

Ex Martiali.

29. Extra fortunam est quidquid donatur (a) egenis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.
30. Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam.
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.

Ex Terentio.

31. Crescit in adversis virtus.

Hæc igitur, aut alia id genus argumenta pertractare si velis, facies sedulo quod supra dictum est. 1. Laudabis breviter auctorem Sententiæ. 2. Planius & copiosius explicabis sententiam, illamque variis verborum coloribus pictam bono, ut ajunt, lumine collocabis. 3. Afferes caussam aliquam quamobrem res ita se habeat. 4. Ex contrariorum conflictione & quasi concursu illam confirmabis. 5. Illustrabis eam similitudine, quæ in rem aptissime quadret. 6. Probabis illam singulari quodam exemplo. 7. Veteris auctoris testimonio & auctoritate illam confirmabis. 8. Denique ex omnibus hisce capitibus rem ita se habere concludes.

Quomodonam tractanda est Chria activa?

R. Eadem prorsus ratione, qua Chria verbalis. Eadem enim est utriusque ars, eædemque plane regulæ. Itaque actum ageremus, si de Chria activa separatim ac seorsum tractaremus. Idem plane dicito de Chria mixta.

CA-

(a) *Legitur* Amicis.

CAPUT IV.

De Amplificatione.

Quid est Amplificatio?

R. Inepte prorsus ac ridicule facere mihi videntur, qui perperam interpretantes Isocratis (a) verba, Amplificationem cum vulgo ita definiunt; Amplificatio, inquiunt, est oratio, quæ ex parvis magna facit; seu quæ res exiguas verbis exaggerat, & in majus attollit. Puerilis, inquam, & (b) præstigiatore ac Sophista potius quam Oratore digna mihi semper visa fuit hæc vulgaris definitio, quæ res mendacio fallacibusque pigmentis (c) supra meritum velit augeri. Ut enim facere ajebat Spartanorum rex Agesilaus: Ego pessimum eum sutorem arbitrabor semper, qui magnos calceos pedibus parvis inducat.

Nos igitur cum Tullio sic Amplificationem commodius longe definimus: *Amplificatio est gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* Quia vero subobscura cuipiam forte videri posset hæc definitio, & quia vis & facultas Oratoris potissimum in amplificando consistit; idcirco definitionem illam & totam amplificandi artem planius & apertius explicare operæ pretium existimamus.

Quid igitur sibi volunt hæc verba; Gravior quædam affirmatio?

R. Gravissima illa affirmatio, de qua hic agitur, nihil aliud est, quam vehementius quoddam copiosiusque dicendi genus, quo rei vel di

(a) *Isocrates, pater eloquentiæ dictus a Tullio, vixit annos centum.*
(b) Ital. *Giocoliere.*
(c) Ital. *belletti, ornamenti.*

dignitatem & amplitudinem, vel indignitatem & atrocitatem, pondere verborum & enumeratione circumſtantiarum ita demonſtramus, ut non animos aureſque prætervolet, ut ferme fit cum res leviter ac ſtrictim attinguntur, ſed ut feriat animos, permoveat affectus, & audientium memoriæ penitus inſideat.

Cedo illuſtre quodpiam exemplum Amplificationis hujuſmodi.

R. Habes luculentiſſimum in atrociſſima illa Didonis adverſus Æneam abeuntem querela. Poterat Dido ſimpliciter & nude Æneam appellare *durum*, *inhumanum*, *ferreum*, ſed querimoniam illam ſic amplificat mirifice Virgilius Æneidos Lib. IV.

Talia dicentem jamdudum averſa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur:
Nec tibi Diva (a) Parens, generis nec Dardanus (b) auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Sic etiam Libro 2. poterat Æneas exiliter & jejune dicere ſe amiſſam conjugem Creuſam clamoribus maximis per noctis tenebras appellaſſe; verum rem ita verbis exaggerat:

Auſus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mœſtuſque Creuſam (c)
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.

Quotuplex eſt Amplificatio?

R. Duplex: alia eſt verborum, alia rerum: ſeu, quod idem eſt, alia fit rebus ac ſententiis, alia verbis tantum. De utroque genere ſeorſim agendum nobis eſt.

§. I.

(a) *Venus.* (b) *Dardanus primus Rex Trojanorum, Jovis filius.* (c) *Creuſa Priami & Hecubæ filia, Æneæ Conjux, Aſcanii mater.*

§. I. De Amplificatione rerum.

Q*Uot modis fit Amplificatio rerum?*
R. Octo præcipuis. 1. Fit per congeriem definitionum, seu per definitiones conglobatas. 2. Per congeriem adjunctorum. 3. Per congeriem, seu per enumerationem partium. 4. Per congeriem caussarum & effectuum. 5. Per congeriem consequentium. 6. Per congeriem similium, comparationum & exemplorum. 7. Per contrariorum, dissimilium & inter se pugnantium conflictionem. 8. Denique per incrementum. Singula hæc capita sigillatim persequamur.

§. II. De Amplificatione per congeriem Definitionum.

Q*Uid est definitio?*
R. Est brevis & circumscripta rei explicatio; seu, ut ajunt Philosophi, est oratio, quæ rei naturam breviter explicat.

Quid est Amplificatio per congeriem definitionum, sive a definitionibus conglobatis?
R. Est ea, in qua variæ ejusdem rei definitiones congeruntur, & quasi coacervantur: ut cum ait Cicero: *Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis*. Ex iisdem definitionibus conglobatis, Curiæ ac Senatus Romani majestatem sic amplificat idem Orator in Oratione pro Milone: *Curia templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portus omnium gentium, sedes ab universo populo R. concessa uni Ordini.*

Poteris tu vicissim, ad illarum definitionum conglobatarum imitationem, dicere quid sit eloquentia, quid poesis, quid amicitia, quid vita hominis, quid Deus ipse.

§. III. De Amplificatione per congeriem adjunctorum.

Q*Uid est amplificatio per congeriem adjunctorum?*

R. Est ea, quæ ducitur ab omnibus seu rerum, seu personarum adjunctis ac circumstantis simul coacervatis, Cicero 2. Agraria: *Ego qualem Kalendis Januariis acceperim Remp. Quirites, intelligo, plenam sollicitudinis, plenam timoris, quam nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi expectarent: omnia turbulenta consilia contra hunc Reip. statum & contra vestrum otium partim iniri, partim, nobis Consulibus designatis, inita esse dicebantur: sublata erat de foro fides, non ictu aliquo nova calamitatis, sed suspicione ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum, novæ dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quæri putabantur.*

Virgilius sub finem libri primi Georgicorum Julii Cæsaris interitum lugubriter admodum & tragice lamentatur, coacervando funestissima prodigia, monstraque, quæ vel antecessere, vel mox subsecuta sunt:

Ille (a) etiam extincto miseratus (b) Cesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula (c) noctem,

. . . .

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens; & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesque locutæ:
In-

(a) *Sol.* (b) Subaudi *est.* (c) *Dictatore Julio Cæsare a conjuratis occiso solis globum diu subpallidum apparuisse narrant Plutarchus, & Plinius.*

Infandum; ſiſtunt amnes; terræque dehiſcunt,
Et mœſtum illacrymat templis ebur, æraque ſudant.

Totum hunc locum, ut eximium amplificationis exemplar, & ad excitandam commiſerationem in primis idoneum, tu conſulito, ſi me audis.

§. IV. De Amplificatione per congeriem, ſeu enumerationem partium.

QUid eſt *Amplificatio ab enumeratione partium?*

R. Eſt illa, quæ fit, dum totum aliquod in ſuas partes diſtribuitur; ſeu dum rei alicujus partes vel omnes, vel præcipuæ certe quidem, ſigillatim enumerantur. Ita Cicero funeſtum Piſonis Conſulatum deſcribit: *Omnes memoriam conſulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen a Rep. deteſtantur. Legati, qui una fuere, alienati: Tribuni militum, inimici: Centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtem exoptant, te exſecrantur. Achaja exhauſta; Theſſalia vexata; laceratæ Athenæ; Apollonia exinanita; Ambracia direpta; Bullienſes illuſi; Epirus exciſa; Locri exuſti; Athamanum gens vendita; Macedonia condonata barbaris; Ætolia amiſſa; Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati; Cives Rom. qui in iis locis negotiantur, te unum ſolum ſuum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hoſtem veniſſe ſenſerunt.* Ovidius lib. II. Metamorph. dilatat ſententiam hanc:

Rex Midas omnia quæcumque tangit, in aurum convertit.

Lætus abit, gaudetque malo Berecynthius heros, (a)

(a) *Midas Phrigiæ Rex, ubi mons Berecynthus.*

Pollicitique fidem tangendo singula tentat:
Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam; virga aurea facta est:
Tollit humo saxum; saxum quoque palluit auro:
Contigit & glebam: contactu gleba potenti
(a) Massa fit: arentes Cereris decerpsit aristas;
Aurea messis erat. Demptum tenet arbore pomum;
(b) Hesperidas donasse putes; si postibus altis
Admovit digitos, postes radiare videntur:
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis (c) Danæn eludere possit.

Sic etiam Maffejus Latinæ Linguæ elegantia munditiaque nulli inferior, urbis Venetiarum pulchritudinem præstantiamque per partium enumerationem describit in vita S. Ignatii, omnibus picta & polita artis coloribus.

Venetiarum descriptio per enumerationem partium.

Venetiarum urbis, in recessu intimo sinus Adriatici, ea regio ac situs est, ut leniter stagnantes ex alto aquæ, illam omni ex parte circumluant. Ea inclytæ urbi & ad merces copiasque invehendas opportuna receptacula, & contra hostiles incursus munimenta firmissima sunt. Ex iis porro æstuariis (d) *majores minoresque Euripi totam urbem intercurrantes, variis meandris ac flexibus ita distinguunt, ut quot in partes pedibus, in totidem fere mari aditus sit, egregio sane vel artis, vel naturæ miraculo. Inde vicorum, in-*

(a) *Auri moles.* (b) *In earum hortis erant aurea poma.* (c) *Jupiter in auream pluviam mutatus illam delusit converso in pretium Deo.* Horat.
(d) Ital. *Luogo dove stagnan dell' acque pel flusso del Mare.*

insularum & pontium ingens numerus; ut qui diutius ibi versati non sunt, viarum locorumque modo varietate, modo similitudine sæpe fallantur. Sed contra ejusmodi ambages certum paratumque remedium est maxima multitudo cymbarum, quæ usquequaque dispersæ, nominatim ad omnia & publica & privata loca quemlibet, haud ita magna mercede, trajiciant.

V. De Amplificatione per Congeriem caussarum & effectuum.

Quid est Amplificatio per congeriem caussarum & effectuum?

R. Est ea, in qua multæ simul unius rei caussæ, & effectus multi conglobantur; ut si diceres cum celebri artis magistro: *Quereris multis modis vexatam esse provinciam, sed ad caussas calamitatis attende. Vigebat in ea ambitus, luxuria dominabatur; segnes erant magistratus, populus ipse molli otiosaque segnitie diffluebat. Expecta igitur damna longe graviora. Exhaurientur pecuniæ, jacebit spreta Religio, fures impune grassabuntur, &c.* Ex hoc eodem loco immanissimam Mezentii crudelitatem amplificat rex Evander apud Virgilium Æneid. 8.

Quid memorem infandas cædes, quid facta
 Tyranni (a)
Effera? Dj capiti ipsius generique reservent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus
 ora,
(Tormenti genus) & sanie taboque fluentes,
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

(a) *Mezentius immanissimus Tyrrhenorum, seu Hetruscorum Tyrannus, qui pro Turno contra Æneam pugnavit.*

§. VI. De Amplificatione per congeriem consequentium.

QUid est Amplificatio per congeriem consequentium?

R. Est ea, in qua plura ponuntur acervatim ex eadem re consequentia. Ex hoc loco Virgilius noctem egregie describit Æneidos 4. amplificando res varias, quæ noctem ferme consequuntur:

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvæque & sæva quierant
Æquora: cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres,
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent; sommo (a) positæ, sub nocte silenti
Lenibant curas & corda oblita laborum.

§. VII. De Amplificatione per comparationes, similitudines, & exempla.

QUid est Amplificatio per comparationes, similitudines & exempla?

R. Est ea, quæ fit per unam, vel per multas comparationes ac similitudines, & per unum exemplum, vel per plura. Fiet Amplificatio per plures comparationes, si dicas v. gr. cum Tullio in Pisonem: *Ego non te vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo (b) Oreste, aut Athamante dementiorem putem?* Vel si dicas cum Martiali, in improbum quem-

(a) *Posita*, idest, *jacentes*. Somno autem lenibant curas &c. (b) *Orestes Agamemnonis filius*, *furiis abitatus fuit ob Clytemnestram matrem occisam*. *Athamas*, *Thebanorum Rex*, *furis etiam agitatus*.

quemdam Gaurum, qui sua lutulenta vitia magnorum virorum exemplo solebat excusare.

In Gaurum.

Quod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, (a) Catonis habes,
Carmina quod scribis Musis & Apolline nullo.
Laudari debes: hoc (b) Ciceronis habes:
Quod vomis, (c) Antoni; quod luxuriaris, (d) Apici:
Quod fur es, vitium, dic mihi, cujus habes?

Fit Amplificatio per unam tantum similitudinem in hoc Virgilii loco, ubi fortissimam Amazonem Camillam de imbelli hoste nullo labore triumphantem sic exprimit Æneid. 11.

Quam facile accipiter saxo facer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor & vulsæ labuntur ab æthere plumæ.

Itemque in Libro septimo, ubi Reginæ Amatæ (e)furorem, ac circumcursationes depingit lepidissima turbinis verbere a pueris agitati similitudine:

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum,
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
(f) Impubesque manus mirata volubile buxum.

(a) *Cato Uticensis quam sape mero incalueris, testis Horatius.* (b) *Cicero non bonus Poeta fuit.*
(c) *Qui frustis vinolentis gremium suum & totum tribunal implevit.* (d) *Apicius helluo celeberrimus.* (e) *Erat Latini Regis conjux.* (f) *Impuberum*, id est, *Puerorum turba.*

Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo,
Per medias urbes (a) agitur, populosque feroces.

Addite denique pulcherrimam istam juvenis (b) Pallantis a Turno occisi cum flosculo decerpto comparationem, quam Scaliger quovis nectare dulciorem non veretur appellare.

Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt.
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinti,
Cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit.

§. VIII. De Amplificatione per conflictionem contrariorum.

Quid est *Amplificatio per conflictionem contrariorum & inter se pugnantium?*

R. Est ea, qua plura contraria per antitheses opponuntur, ut illa Ciceronis in Catilinam: *Hoc vere quis ferre possit, inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus?* In idem est illud ejusdem Ciceronis in Pisonem & Gabinium Consules: *Qui latrones igitur, siquidem vos Consules? qui prædones? qui hostes? qui proditores? qui Tyranni nominabuntur? Magnum nomen est, magna species, magna majestas Consulis. Non capiunt angustiæ pectoris tui: non recipit levitas ista, non egestas, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentiæ rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam.*

Sic etiam Seneca in (c) Thyeste;
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Tale

(a) *Regina Amata.*
(b) *Erat Evandri regis filius. Æneid. 11.*
(c) *Tragedia sic inscripta. Act. 2. vers. 614.*

Tale est etiam incerti auctoris, sed tamen antiqui in Alexandri magni tumulum:

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis:
Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis.

Ex hoc eodem loco magni nominis Poeta Santolius Victorinus admirabiles Sanctorum virtutes amplificat per congestas antitheses (a).

Illis summa fuit gloria despici,
Illis divitiæ pauperiem pati,
Illi divitiæ summa voluptas
Longo supplicio mori.

§. IX. De Amplificatione per incrementum.

Q*Uid est Amplificatio per incrementum?*

R. Est ea, qua oratio veluti per gradus videtur augeri & ascendere, donec ad summum pervenerit. Ita Tullius Verris crudelitatem eo per incrementum deducit, ut verba explanando crimini non ultra suppeditent: *Facinus est* inquit, *vincere civem Romanum; prope parricidium necare: quid dicam, in crucem tollere? Nihil addi jam videtur ad hanc amentiam, inprobitatem, crudelitatemque posse.*

Vide etiam quomodo per gradus & per incrementum assurgat oratio in hac sapientissima Senecæ sententia in Epistola ad Lucilium: *Magna vitę pars elabitur male agentibus; maxima nihil agentibus: tota aliud agentibus.*

De Amplificatione verborum

De hoc toto Capite tametsi sumus propediem accuratissime dicturi; postulat tamen instituti nostri ratio, ut cursim illud in antecessum (b) delibemus.

C 5 *Quo-*

(a) *In himno de sanctis monachis.*
(b) Ital. *Anticipatamente.*

Quando fit Amplificatio verborum?

R. Fit ſex præcipue modis. 1. Per verba translata, ſeu metaphorica. 2. Per verba ſuperlata. 3. Per verba ſynonima. 4. Per verba gravia & illuſtriora. 5. Per periphraſim, ſeu circumlocutionem. 6. Per repetitionem.

§. X.

FIt igitur primum Amplificatio verborum per verba metaphorica, quæ nempe mirum in modum valent ad excitandos animos, & ad orationem grandiorem efficiendam.

Quid eſt Metaphora, ſeu translatio?

R. Eſt quoddam loquendi genus, quo vox aliqua a propria ſua ſignificatione transfertur ad alienam. v.g. ſi dicas: *Prata ridere*, *Parietes geſtire gaudio*, *aliquem eſſe ira incenſum*, *inflammatum cupiditate*, *errore lapſum*: voces illæ omnes ſunt metaphoricæ, quia tribuunt pratis & parietibus riſum & gaudium, quæ propria ſunt hominis ſolius. Idem plane dicito de ceteris locutionibus, quæ tribuunt homini flammam, & incendium igni proprium, &c. Fiet igitur Amplificatio per Metaphoram, ſi cum Virgilio dicas de Ænea irato:

(a) ---- Irarumque omnes effundit habenas.

Vel ſi dicas de Didone:

(b) ---- Magnoque irarum fluctuat æſtu.

Quia habenas, & æſtum, quæ proprie conveniunt equis ac fluctibus, tribuit Æneæ & Didoni. Item ſi de homine impavido & imperterrito dicas cum Horatio in Odis: (c)

Illi robur & æs triplex
Circa Pectus erat, qui frigilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus.

§. XI.

(a) *Lib.* 12.
(b) *Lib.* 4. (c) *Lib.* 1.

§. XI.

1. **F**It Amplificatio per verba superlata, hoc est, quæ veritatem superant, & plus dicunt quam reapse esse possit. Ut cum ait Tullius de Julio Cæsare, in oratione pro Marcello: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.* Itemque cum dicit de Pompejo in oratione pro lege Manilia: *Qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit: plura bella gessit, quam alii legerunt: plures Provincias confecit, quam alii concupiverunt: cujus adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis; non* (a) *offensionibus belli; sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est erudita.*

Hanc amplificandi artem adhibuit Virgilius Æneidos libro 12. cum de Turni equis dixit per Hyperbolem:

Qui candore nives anteirent, cursibus auras,
Item cum de equo Trojano dixit:
Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant.

Sed nusquam magis indulsisse videtur huic schemati (b), quam cum Amazonem (c) Camillam laudans libro septimo dixit per verissimam hyperbolem:

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursus læsisset aristas:
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

(a) Ital. *sinistri incontri.*
(b) Ital. *Figura.* (c) *Camilla Volscorum Regina Bellicosissima, qua Turno adversus Æneam tulit auxilium*

§. XII.

Q*Uomodo fit Amplificatio per verba synonima?*
R. Fit per congeriem verborum & sententiarum idem pene significantium: ut cum ait Cicero pro Ligario: *Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie pharsalica gladius agebat? cujus latus mucro ille petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Vide quam multa sint hic verba idem pene significantia: *gladius, mucro, arma, sensus, mens, animus, cupiebas, optabas*. Quæ sane Synonymorum coacervatio acrem in primis & illustrem reddit orationem, ut liquet ex hoc alio ejusdem Ciceronis exemplo in Catilinam: *Non feram, non patiar, non sinam*; & ex duobus hisce Virgilii versibus Æneidos Lib. 2., ubi Ilioneus Æneæ fortis adhuc ignarus, sic de illo ad Didonem:

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

§. XIII.

Q*Uomodo fit Amplificatio per verba graviora, & illustriora?*

R. Fit, cum adhibentur verba splendida, quæ rem significantius exprimant, & in quibus plenum quiddam, numerosum & sonans esse videatur: cujusmodi sunt ista: *Polluerat stupro sanctissimas religiones; Senatus gravissima decreta perfregerat*. Itemque illa in Verrem: *Non enim furem, sed ereptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum judicium adducimus*.

Ejusdem etiam generis sunt magnifica illa Virgilii verba de Didone moritura.

At

At trepida & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfusa genas, & pallida morte futura,
Interiora domus irrupit limina, & altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.

§. XIV.

Q*Uomodo fit Amplificatio per periphrasim, seu circumlocutionem?*

R. Fit, cum longiori verborum ambitu circuituque dicimus, quod brevius ac simplicius dici poterat. Ita Cicero pro Milone, cum gravius videretur dicere Clodium a Milone fuisse occisum, maluit illud hac verborum circuitione mollire: *In quos incensos, ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, hæsit in iis pœnis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetierunt.*

Circumlocutione Virgilius utitur Æn. 12. cum pro hac una voce *Moritur*, sic ait:

Olli dura quies oculos & ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.

Et in ecloga prima, ubi pro hac una voce *Jam advesperascit*, longiori hac, tritaque utitur periphrasi.

Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Nota Periphrasim apud Poetas esse frequentiorem, quam apud Oratores. Quod si non idonea sit, vel si nimis redundet, jam non appellabitur *Peribprasis*, sed *Perissologia*. (a)

§. XV.

(a) *Id est sermonis undantia.*

§. XV. De Amplificatione per repetitionem.

Quomodo *fit amplificatio per repetitionem*? R. Fit, cum verbum idem sive ornatus caussa, sive ad motus excitandos iteratur, duplicaturque, vel in principio, vel in fine, vel in medio dictionis. Ut cum ait Tullius: *Vidi enim, vidi penitusque perspexi*. Sed utitur in primis hoc Amplificationis genere in exordio Orationis pro Roscio Amerino, cum ait: *Accusant ii, qui in fortunas ejus invaserunt: Caussam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sexti Roscii bono fuit: Caussam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summe cupierunt: Caussam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum judicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. Denique accusant ii, quos populus poscit; Caussam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde restat.*

Quantopere vero valeat Repetitio ad addendam vim pondusque orationi & ad affectus ciendos, discere poteris ex sequentibus exemplis. Priora tria sunt ex heroicis Ovidii Epistolis, in quibus, si quid judico, præ cæteris omnibus illius operibus, elegantiæ, ingenii & eloquentiæ lumen quoddam elucet: in primo sororem Annam sic compellat infelix Dido:

Anna soror, soror Anna, meæ male conscia culpæ.

In altero Demophoontem (a) ita compellat Phyllis:

Cre-

(a) *Demophoon Thesei ex Phædra filius a Phyllide Lycurgi regis filia hospitio & lecto susceptus, data prius futuri conjugis fide.*

Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis;
Credidimus generi, nominibusque tuis:
Credidimus lacrymis: an & hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur, eunt.

In tertio conjux Herculis Dejanira, cum illi per imprudentiam mortem intulisset, in has justi doloris voces erumpit identidem:

Impia quid dubitas Dejaneira mori?
Hei mihi quid feci? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Dejaneira mori?
Illita (a) Nessejo misi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Dejaneira mori?

Quibusnam potissimum figuris varianda erit, & distinguenda Amplificatio?

R. Præcipua, quæ Amplificationem ornant, Schemata sunt Hypotyposis, & Exclamatio, de quibus supra dictum a nobis est. Quibus addito tria alia, nempe Prosopopœiam, Apostrophem, Interrogationem, ceterasque id genus vehementiores figuras, de quibus agendum nobis erit in Libro de Elocutione.

§. XVI Quid sit in Amplificatione vitandum.

DUo sunt in primis vitia, ac veluti scopuli quidam duo, in quos incurrere solent Tyrones, dum orationem amplificant. Primus scopulus est illorum, qui minutissima quæque singulatim, exiliter & perexigue consectantur; quod certe est in Oratore vitium vel maximum. Ut enim recte monet Cicero, in Amplificationibus nihil est nimis tenuiter enucleandum, quia hic locus grandia potius, quam exilia, minutaque requirit.

Alter

(b) *Centauri Nessi veste qua indutus Hercules in furorem versus est.*

Alter scopulus est illorum, qui ad explendum orationis numerum, nihil nisi vacuas voces, & inanem verborum sonitum in illam infarciunt. Hoc vulgare vitium fugies, si nihil prorsus dicas, quod vim, & pondus non addat orationi, & sensum non augeat: *Quid est enim tam furiosum,* (inquit Tullius Lib. 1. de Oratore) *quam verborum vel optimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia?* Et ut sapientissime præcipit Horatius in Arte Poetica, si sint tibi provisæ, paratæque, & ad manum, ut ita dicam, sententiæ, voces ipsæ ultro sese offerent, & ad exprimenda animi sensa nullo labore succurrent:

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Quamquam, ut dicam id, quod res est, si Tyroni peccandum sit in alterutram partem, malim certe, ut, instar Ovidii, peccet potius ubertate quadam, copiaque verborum, quam eorumdem jejunitate, atque inopia: quia, ut optime notat Tullius, nimia hæc, & redundans verborum ubertas, & quasi luxuries, stylo, atque exercitatione brevi depascetur.



AP-

APPARATUS
SEU PROOEMIUM
RHETORICÆ.

RHetoricæ Procemium, sive Apparatum appellamus ea omnia, quæ pertinent universim ad Artem Rhetoricam. Quinque autem sunt, quæ de Rhetorica generatim, & universe, prolusionis more, quæri possunt.

1. Quæ sit natura, & finis Rhetoricæ.
2. Quæ sit illius materia.
3. Quæ sint illius partes.
4. Quæ sit dignitas, vis, & utilitas Rhetoricæ.
5. Quibus rebus, ac subsidiis possit facile comparari.

§. I. De natura, & fine Rhetoricæ.

Quid est Rhetorica?
R. Est ars, seu disciplina bene dicendi: hoc est ornate, graviter, & copiose loquendi; *Ita Quintilianus, lib.* 2.

Unde nomen suum traxit Rhetorica?
R. A voce græca ῥέω, *dico*, *loquor*, unde ῥήτορ, *Rhetor*, Orator, & ῥητορική, *ars Oratoria*.

Quare vocatur ars?
R. Quia certis quibusdam & numquam fallentibus præceptis continetur.

Quare dicitur ars bene dicendi?
R. Quia docet quomodo optimis sententiis, verbisque lectissimis dici possit.

Un-

Undenam orta eſt ars illa bene dicendi?

R. Notatio naturæ & animadverſio peperit artem. Cum enim aliqui nativa quadam facultate, ſino ullo artis ſubſidio, bene dixiſſent, alii contra inſulſe omnino & male; extitit aliquis, qui diſcrimen illud obſervaret attentius, qui cauſſas illius indagaret ſedulo: atque ita rem ſenſim ad artem ac præcepta revocaret, & quaſi viam traderet, quæ ad eloquentiam tuto ferret. Unde liquet, non eſſe eloquentiam natam ex artificio; ſed potius artificium ex eloquentia natum, atque profectum.

Quid differunt inter ſe Rhetor & Orator?

R. Hoc differunt quod Rhetor ſit, qui bene dicendi præcepta tradit, Orator vero ſit is, qui accommodate ad perſuadendum dicere poteſt: tametſi erretur perſæpe in nomine, & aliud pro alio indiſcriminatim accipiatur.

Quiſnam eſt finis ultimus Artis Oratoriæ?

R. Eſt perſuadere dictione: hoc eſt, diſerta oratione, quempiam impellere ad aliquid vel credendum, vel agendum, vel omittendum.

Quodnam eſt officium Oratoris?

R. Eſt dicere appoſite ad perſuadendum; quod fiet docendo, delectando & movendo. Docemus argumentis & argumentatione; delectamus ornato, illuſtri & apto dicendi genere; flectimus amplificatione & affectibus. Docere neceſſitatis eſt; delectare ſuavitatis; movere vero, ſeu flectere, victoriæ; atque hic demum eſt veriſſimus eloquentiæ triumphus.

Unde erit ille ſummus & perfectus Orator, qui cum appoſite dixerit ad perſuadendum, hoc eſt, ad docendum, delectandum & movendum; reipſa tamen, ſive auditoris vitio, ſive quacumque demum alia de cauſſa, non perſuaſerit.

§. II

§. II. De Materia Rhetoricæ.

QUenam *eſt materia cujuſque artis in genere?* R. Ea eſt, circa quam verſatur Ars; ut Medicinæ materia ſunt morbi, quia in iis curandis Medicina verſatur.

Quænam eſt ſpeciatim materia Rhetoricæ? R. Nihil omnino eſt in rerum natura, de quo ornate, eleganter & copioſe diſputare non poſſit Orator. Ut enim obſervat Cic. 2. de Orat. *Bene dicendi Ars non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis ſepta teneatur*. Unde ajo cum Ariſtotele, Rhetoricæ materiam eſſe (a) quamlibet quæſtionem ad dicendum propoſitam.

Quotuplex eſt queſtio, quæ Oratori ad dicendum proponi poteſt? R. Duplex, Alia eſt infinita, ſeu univerſalis; alia finita, ſeu ſingularis. Queſtio infinita, quę vocatur etiam *Theſis*, ea eſt, quæ nullis alligatur temporis, loci & perſonæ circumſtantiis: ut ſi quæratur generatim atque univerſe, *Sitne bellum gerendum, vel pax facienda.*

Queſtio finita, quæ etiam vocatur *Hypotheſis* & *cauſſa*, ſive *controverſia*, ea eſt, quæ univerſalem quæſtionem reſtringit ac revocat ad certas quaſdam perſonæ, temporis, loci, reique circumſtantias: ut ſi quæratur, *Sitne hoc anno nobis pax facienda, iis, quæ ab hoſtibus feruntur, legibus ac conditionibus*.

Queſtio autem, ſive finita ſit, ſive infinita, dividitur quadrifariam: primo in quæſtionem cognitionis & Actionis. Quæſtio cognitionis ea eſt, quæ inſtituitur ſolius ſcientiæ gratia: ut, *Quæ ſit cauſſa defectus ſolis, ... ſit ne terra major quam luna*. Quæſtio actionis ea eſt, cu-

jus

(a) τὸ ἕκαστον.

jus finis est aliquod efficere; ut, *An liceat vim vi repellere .... an sit inimicis ignoscendum?*
Præterea quæstio vel est principalis, vel incidens. Principalis ea dicitur, quæ præcipue venit in controversiam: Incidens vocatur, quæ tractatur propter aliud.

Quot sunt universim genera questionum, sive caussarum, in quibus versari potest Orator?
R. Tria. Genus judiciale, genus deliberativum, & genus exornativum, seu demonstrativum, quod a Græcis vocatur Epidicticum.

Quid spectatur in genere judiciali?
R. Accusatio & defensio.

Quid spectatur in genere deliberativo
R. Suasio, & dissuasio.

Quid in exornativo?
R. Laus & vituperium. Unde generis judicialis finis est *æquitas*; Deliberativi *utilitas*; Demonstrativi *honestas*. Judiciale genus versatur circa tempus præteritum; Deliberativnm circa tempus futurum: Demostrativum vero circa prçteritum simul & præsens.

§. III. De Partibus Rhetoricæ.

Quæ & quot sunt primariæ partes Rhetoricæ?
R. Quatuor: Inventio, Dispositio, Elocutio, & Pronunciatio; quemadmodum sunt præcipuç quatuor Oratoris partes. 1. Argumenta invenire: 2. Inventa disponere: 3. Disposita verbis exornare: 4. Exornata pronuntiare. Sunt qui pro quinta parte memoriam statuant; sed nos cum Aristotele illam ad Pronuntiationem revocamus.

Quid est Inventio?
R. Est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ valeant tum ad faciendam fidem, tum ad motus excitandos.

Quid

Quid est dispositio?

R. Est rerum inventarum in ordinem distributio.

Quid est Elocutio?

R. Est idoneorum verborum & sententiarum ad res inventas accomodatio.

Quid est pronuntiatio?

R. est vocis ac corporis ea moderatio, quam res inventæ ac verba requirunt.

§. IV. De dignitate, & utilitate Rhetoricæ.

Q*Uænam est Rhetoricæ dignitas, vis & utilitas?* R. Nihil addi potest ad hæc illustria Tullii verba, libro 1. de Oratore: *Quid est*, inquit, *aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine extstere unum, qui id quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti?* Quid majus, quid splendidus dicere posset eloquentia, si pro se ipsa loqueretur?

De subsidiis Rhotoricæ.

Quibus potissimum subsidiis omnes illæ, quas diximus, Rhetoricæ partes comparari poterunt?

R. Quatuor: natura, arte, exercitatione & imitatione.

Quid natura confert ad eloquentiam?

R. Ex parte animi confert celeres motus, ad excogitandum acutos, ad ornandum uberes, ad memoriam firmos ac diuturnos. Ex parte vero cor-

corporis confert latera firma, canoram vocem solutam linguam, aptamque oris, & totius corporis conformationem.

Quid facit ars ad eloquentiam?

R. Excolit quæ dedit natura; supplet quæ illi desunt; quæ vero redundant luxuriantque, castigat atque coercet. Uno verbo; certissimam, veluti digito, monstrat viam, qua ad eloquentiam tuto perveniatur.

Quid affert exercitatio?

R. Conservat & auget quæ ars expolivit, aut emendavit in natura. Multi enim naturæ vitium exercitatione sustulere, ut olim Demosthenes, aliique sexcenti.

Quid est exercitatio?

R. Est assiduus usus & consuetudo dicendi, vel scribendi; quod quidem valde facit ad eloquentiæ laudem adipiscendam. Ut enim ait Cicero: *Stylus est optimus dicendi effector & magister*. Triplex est autem exercitationis genus, nempe *Scriptionis*, *actionis & memoriæ*.

DE IMITATIONE.

QUænam est Imitationis utilitas?

R. Facit imitatio, ut optimo cuique auctori similes in dicendo evadamus, & quæ sunt in eo summa, diligenter persequamur. Et quoniam imitatio, si recte fiat, multum affert ad eloquentiam, & pauci admodum imitari sciunt, ut par est; ideo de imitandi ratione fusius aliquid & uberius disputandnm nobis esse existimavimus.

Quænam igitur est vera rectaque imitandi via & ratio?

R. Multiplex.

1. Ca-

1. Cave vulgare quoddam ac mediocre tibi proponas exemplar, *Mox daturus progeniem vitiosiorem*, sed deligatur imitandus summus aliquis & excellens auctor, in quem tota mente intuearis. Is autem erit, in Poetis ferme Virgilius, qui cæteros omnes Poetas longe post se reliquit, &, ut ipse loquitur de Turno, *Toto vertice supra est*. In oratoria vero arte deligatur unus Cicero, de quo, quam tritum ac pervulgatum, tam verum est illud Quintiliani dictum: *Ille sciat se profecisse, cui Cicero valde placere cœperit;* & in quem bellissime cadit magnifica illa Senecæ (a) de illo vox: *Ingenium, quod solum populus R. par imperio suo habuit:* & ut non minus splendide de eodem Tullio dictum fuit a Vellejo Paterculo: *Vir ingenio maximus; qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingeniis vinceremur.*

2. Non optimos solum auctores imitaberis, verum etiam quæ in illis optima sunt, ac præstantissima: Si v.g. scribenda tibi sit oratio latina, habebis præ oculis loca illa eximia, in quibus se plurimum amavit Cicero, & in quibus se se ipse videtur quodammodo vicisse, cujusmodi sunt illius pleræque perorationes. Illas inter scribendum lectitabis identidem, ut illarum assidua lectio Tulliani styli gramanum tibi saporem & gustum aspergat.

Ut vero semper habeas in promptu selectissima, quæ subinde possis imitari, luculentissimorum auctorum loca; copiosum, summaque cura elaboratum illorum indicem tibi ad nostræ Rhetoricæ amplioris calcem exhibemus.

3. Illustria hæc, quæ dixi, loca neque pueriliter imitaberis, neque serviliter, putideque ut solent homines illi, quos jure optimo ridet Horatius, dum ait: O *imitatores, servum pecus;* & ut a bene multis fieri video, qui cum picarum, aut psittacorum more easdem omnino

(a) *Controv. Lib. 2.*

no voces reddiderint, tum demum magnos se veterum imitatores arbitrantur. Tu vero quæcumque imitaberis, sic facies tua, ut eruditis & emunctæ naris hominibus appareat imitatio, sed tamen res omnino alia, tibique propria facta jam esse videatur.

Tua autem facies hæc veterum scriptorum loca, tibique illa quasi jure tuo poteris vindicare,

Primo, si vim ac pondus sententiæ retineas: verba vero vel omnia, vel magna ex parte saltem immutes. Dixerat olim Tullius: *Virtus est una altis defixa radicibus, quæ nullæ umquam vi labefactari potest.* Hanc egregiam Tullii sententiam vide quam scienter, mutatis omnino verbis, exprimat Horatius, cum dicit de homine probo & in colenda virtute constanti:

(a) Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Sic etiam cum dixisset id Cicero Philippica nona: *Vellem, Dii immortales fecissent, ut vivo potius Servio Sulpitio gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus.* Hanc eandem sententiam, mutatis omnino verbis, ingeniose admodum expressit Ovidius lib. 13. Metamorphoseon, ubi Ulyssem de Achillis mortui armis certamen cum Ajace, & pro se ita loquentem inducit.

Si mea cum vestris valuissent vota (b) Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:
Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille.

Secundo, si eadem ferme servando verba, transferas illa ad alium sensum, vel similem, vel contrarium: v. gr. dixit Tullius in Antonium: *O audaciam immanem! Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Diis Penatibus os impor-*

(a) *Ode 3. Lib. 3.*
(b) *Sic appellati vetustissimi Græciæ populi.*

portunissimum ostendere? Poteris verba hæc paululum immutata in Judam, hortos, ad Christum prodendum, subeuntem, opportune transferre.

Sic etiam Catilinariæ primæ exordium ad aliud argumentum nullo labore ita convertent vel ipsi mehercule tyrunculi; Quousque tandem, homo nequam atque improbe, intemperanter abutere divina patientia? Quamdiu illam eludet vita ista tua omni scelerum genere cooperta? Quem ad finem se inveterata tua jactabit impietas? Nihil ne te impendentis mortis pericula, nihil Inferorum pœnæ, nihil in te Divinæ justitiæ gladius, nihil terror conscientiæ, nihil severissimi judicis tribunal, nihil illius os vultusque movebunt? Patere tua flagitia non sentis, &c.

Tertio, recte imitaberis, si figuras, si periodos, si transitiones, si commissuras, incisaque & totum orationis ductum, ac filum potius imiteris, quam verba ipsa, vel ipsas sententias. Dixit v. gr. Cicero Philippica II. *Non placet Antonio Consulatus meus; at placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis Consularibus, qui primus mortuus est: Placuit Quinto Lutatio Catulo, cujus semper in hac Republica vivet auctoritas: Placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni. Maxime vero Consulatum meum Cn. Pompejus probavit.* Hanc figuram transferre poteris eleganter in eos, quibus non placent humaniores Litteræ, quas omnium ordinum, ac ætatum viri sapientissimi in deliciis habuerunt.

Quarto, laudem habebit imitatio, si propositum exemplar vel in pauca contrahas, vel amplificando fusius, uberiusque dilates. Ita cum Virgilius dixisset I. Georgicorum.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit.

Hunc eumdem locum imitando fusius, more suo, amplificavit Ovidius V. Metamorph.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges; Cereris sunt omnia munus.

Contra vero cum a Tullio fusius ac uberius dictum fuisset de Cæsare, in oratione pro Marcello. *Bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propria sint Imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant. Maximam vero partem quasi jure suo fortuna sibi vindicat, & quidquid est prospere gestum, id plane omne ducit suum. At vero hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcunque est, quod certe est maximum, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum domina Fortuna in istius se gloriæ societatem non offert: tibi cedit; tuam esse totam ac propriam fatetur*: totam hanc ornatissimam laudationem in duos versiculos ita collegit Poeta egregius:

Gloria vincendi juncta est cum milite, Cæsar:
Cæsar, parcendi gloria tota tua est.

Quinto, laudabitur imitatio, si quæ ab Oratoribus scripta fuere, solerter transferas in orationem adstrictam. Ita facile crediderim cum M. (a) Antonio Mureto, perfectissimo talium rerum æstimatore, Virgilianum illum versum,

Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit:

Ciceronem imitatum fuisse. Ita enim ille Philippica XIV. scripserat in Antonium: *Refugit animus P. C. eaque dicere reformidat, quæ Lucius Antonius in Parmensium liberis & Conjugibus gesserit.*

Sexto, bonus imitator eris, si vel ex Græcis La-

(a) *Fuit Orator & criticus celeberrimus, sæculo 16.*

Latina facias, vel ex Latinis, aut etiam Græcis vernacula. Ita Tullius tam multa singulari quodam artificio expressit ex Demosthene, quam mirabatur, & quo ne Athenas quidem ipsas magis Atticas fuisse, urbano quodam & liberali joco dictitabat. Sic etiam Virgilius, acer & diligens Græcorum imitator, in Æneid. Homerum est imitatus, & in Bucolicis (a) Theocritum. Sic Terentius ex Menandro & ex Aristophane tam multa invexit in Latium. Ita Horatius Pindari (b) Callimachique vestigia persecutus est in suis Odis, & nominatim in tertia quarti libri.

Quem tu Melpomene semel
Nascentem placido lumine videris, &c.

Quam quidem tantis laudibus ornavit summus ille vir Julius Cæsar Scaliger, ut mallet a se similem scriptam fuisse, *Quam esse totius Tarraconensis Rex*. Sic enim (per ludum opinor) dictitare consueverat.

Atque, ut hisce elementis tandem aliquando finem imponamus, laudem maximam habitura est imitatio, si, quos imitaris, eos non dicam adæquare, sed vincere etiam omni ope coneris: ut ait Quintilianus Lib. 10. *Conandum est aliquid supra eos, quos imitaris*; &, ut etiam admonet vetus proverbium: Invenire, rem admodum difficilem esse: perfacilem vero, inventis addere.

Ita Virgilius, cum exiliter admodum ac jejune de Hectore dictum fuisset a veteri poeta Ennio: (c)

O lux Trojæ, germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato corpore miser?

Versus eosdem, vel potius eamdem sententiam ex plumbea fecit auream Æneid. Libro secundo

D 2 O lux

(a) *Theocritus Poeta Syracusanus scripsit Græce Idyllia in genere bucolico laudatissima.*

(b) *Callimachus nobilis Poeta Græcus vixit post Alexandri tempora* (c) *Ennius Poeta antiquissimus vixit tempore secundi belli Punici, centum & amplius ante Ciceronem annis.*

O lux Dardaniæ, ſpes o fidiſſima Teucrum:
Quæ tantæ tenuere moræ? Quibus, Hector, ab oris,
Expectate venis? ut te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios, hominumque, urbiſque labores
Defeſſi aſpicimus! quæ cauſſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? Aut cur hæc vulnera cerno?

Hunc eundem Ennii, Virgiliique de Hectore locum apertiſſime imitari conatus eſt Seneca in (a) Troade, ubi viduam illius Andromachen ita loquentem inducit:

Cum ſubito noſtros Hector ante oculos ſtetit:
Non qualis ultro bella in Argivos ferens,
Grajas petebat facibus Idæis rates:
Nec cæde vaſta qualis in Danaos furens,
Vera ex Achille ſpolia ſimulato tulit.
Non ille vultus flammeum incedens jubar;
Sed feſſus, ac dejectus, & fletu gravis,
Similiſque noſtro, ſqualida obtectus coma;

Quæ imitatio, quamquam non infelix, tu vide tamen quantum a Virgiliana diſtet. Verum quanto inferior Virgilio videtur in hoc loco Seneca, tanto ſane jure videbitur Ennio ſuperior in hac altera ejuſdem imitatione in eadem Troade:

Columen Patriæ, mora Fatorum;
Tu præſidium Phrygibus feſſis,
Tu murus eras, humeriſque tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit, ſummuſque dies
Hectoris idem, Patriæque fuit.

Hanc Ennianam imitationem aliquando mirantibus amicis, feſtive admodum reſpondit Virgilius, *ſe ex Ennii ſtercore gemmas, aurumque colligere*

(a) *Tragœdia ſic inſcripta.*

ligere. Cum vero assidua hæc, diligensque veterum imitatio vitio illi verteretur, ut ab invidis, & obtrectatoribus, cumque illi malevolentiæ livore suffusi palam jactarent in vulgus, illum pleraque ab Homero sumpsisse, hoc uno responso calumniatoribus os obstruere, illosque penitus elingues reddere consueverat Virgilius: *Cur non ipsi quoque eadem furta tentarent? Verum intellecturos, facilius esse Herculi clavam detrahere, quam Homero vel unum eripere versum, illumque ad rem suam accommodare*.

Ratio tamen quædam est Tyronibus præsertim adhibenda, ne, dum propositum sibi exemplar conantur vincere, & dum ab illo paululum, sed in melius aberrare satagunt, prava quadam imitatione ab illo prorsus deficiant, & in pejus aberrent, quod Lucano præsertim contigisse videmus.

Cum enim mirifice, sed sobrie tempestatem ita descripsisset Virgilius Æneidos primo:

Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.
Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Intonuere Poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Hunc Virgilii locum cum sibi vel imitandum, vel superandum proposuisset Lucanus, immodico quodam calore raptus, suoque nimium velificatus Ingenio, & laxatis illi velut habenis, sic aberravit in pejus:

Ah, quoties frustra pulsatos æquore montes
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non ullo littore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti;
A magno venere mari; Mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus.

ARTIS RHETORICÆ
LIBER PRIMUS.

DE ELOCUTIONE.



Uid est Elocutio?

R. Elocutio, inquit Tullius, est idoneorum verborum, & sententiarum ad res inventas accommodatio.

Cur tandem, & quorsum ab Elocutione, contra quam fieri solet, exordimur?

R. Tametsi ex quatuor Rhetoricæ partibus, ordine naturæ, prima sit Inventio; quia tamen pluſculum difficultatis habet, idcirco eam Elocutioni postponendam esse cum erudito Vossio, aliisque artis Rhetoricæ magistris bene multis, judicavimus.

Cum enim verborum delectus origo sit eloquentiæ, ut ait Julius Cæsar in suo de analogia, seu de ratione Latine (a) loquendi Libro, quem Ciceroni nominatim nuncupavit; & cum verborum cura, quæ ad Elocutionem pertinet, sit longe facilior quam cura rerum, quæ spectat ad Inventionem: liquet profecto nos Tyronum commodis utilitatique servire, dum Aristotelis ordine nonnihil immutato, ab Elocutione ducimus initium, & in primo artis oratoriæ quasi limine vestibuloque paulisper hæremus, priusquam in intima illius penetralia pedem (b) ausimus inferre.

Ut

(a) *Cicero in Bruto.*
(b) Penult. producta, pro *audeamus.*

Ut huic eidem Tyronum utilitati consulatur, nostrum hunc de Elocutione librum trifariam dividimus. Agendum nobis est primo de Figuris, in quibus nullo ferme negotio se solent exercere vel ipsi Tyrunculi. Secundo dicetur de Periodo, in qua videtur plusculum esse negotii. Tertio tractabitur de Stylo, a facilioribus, ut par est, ad difficiliora sensim progrediendo.

CAPUT PRIMUM.

De Figuris, seu Schematibus.

Figura, ut diximus in Elementis, est ornamentum quoddam Orationis, seu loquendi modus illustrior, & a communi consuetudine remotus; cujusmodi sunt hæc Ciceronis verba in Catilinam: *Vivis, & vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam*. Itemque illa Didonis (a) verba:

—— Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait. Sic, sic juvat ire sub umbras.

Aut hæc ejusdem Didonis:

Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.

Quot sunt genera figurarum?

R. Duo. Aliæ enim versantur in (b) sententiis & sensu ipso, aliæ in verbis tantum. Quia vero res prius animo menteque concipiendæ sunt, quam verbis exprimantur, ideo de Figuris sententiarum, quæ ad mentem pertinent, ante dicendum nobis est, quam de figuris verborum.

D 4 §. I.

(a) *Æneid.* 4.
(b) Διάνοιας, ἢ διανοίας.

§. I. De Figuris Sententiarum.

INter Figuras Sententiarum aliæ videntur aptiores ad movendum, aliæ ad docendum, aliæ ad delectandum. Initium faciamus ab his, quæ ad movendum, seu ad animos flectendos præcipue valent.

§. II. De Figuris ad movendum idoneis.

De Exclamatione.

CUr ex omnibus figuris Exclamationem primam ordine collocamus?

R. Primam collocamus, quod vehementiores animi motus exclamando soleamus exprimere.

Quid est exclamatio?

R. Est vocis elatio, seu contentio, qua, interjectione vel adhibita, vel subaudita, vehementiorem animi affectum significamus, reique magnitudinem exprimimus. Ita Tullius oratione 1. in Catilinam, per summam indignationem sic exclamat: *O tempora! o mores! Senatus hæc intelligit, Consul videt: hic tamen vivit! Vivit? imo vero etiam in Senatum venit.* Et oratione 2. in Antonium: *O miserum me! consumptis enim lacrymis, infixus tamen animo hæret dolor.*

Exclamatio adjunctam ferme habet aliquam ex hisce interjectionibus, *o! heu! ha! vah! proh Superi! proh Superum, atque hominum fidem!* Persæpe tamen subauditur interjectio, ut si dicas, *Miserum me!* vel, *Hoccine Sæculum!* Veteres pro interjectione, *o*, sæpe adhibebant voces istas (a) *Ædepol! Hercle! Mehercule! Jupiter! Mecastor! Medius fidius!* Catullus:

Chartis
Doctis, Jupiter! & laboriosis.

Heu

(a) *Quasi dicas per ædem Pollucis .... ita me Hercules, me Jupiter, me Jovis filius juvet.*

Heu & *Eheu* triste aliquid & molestum indicant. Ita (a) Cicero: *O domus antiqua, eheu quam dispari domino dominaris!* Virgilius vero Æneidos 4.

— Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Extruis; heu regni, rerumque oblite tuarum!

Proh adhibetur sæpe ad obtestandum. Ita Terentius: *Proh Deum atque hominum fidem! quid est, si non hæc contumelia est?*

Mirum in modum facit Exclamatio ad significandam indignationem, doloremque ex re atroci conceptum; ut Tullius pro Cœlio: *Proh Dii immortales! cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut* (b) *connivetis, aut præsentis fraudis pœnam in diem reservatis?*

Servit etiam misericordiæ. Ita pro Sylla: *O miserum & infelicem diem illum, quo Consul omnibus Centuriis P. Sylla renunciatus est! O fallacem, o volucrem fortunam! O cæcam cupiditatem! O præposteram gratulationem! quam cito illa omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymam redierunt!* Et pro Milone: *O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit; hanc ingratam, si ejecerit; miseram, si amiserit!* Sic etiam perfidus ille Sinon Trojanorum misericordiam exclamando captat (c):

Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?

Aliquando etiam lætitiam, animique hilaritatem exprimit Exclamatio: v.gr. Cicero ad Atticum (d): *O suaves epistolas tuas, uno tempore mihi da-*

(a) *De Officiis*. (b) Ital. *Chiudere gli occhi*.
(c) *Æneid.* 1. (d) *Lib.* 1. *Ep.* 8.

tas duas? quibus Evangelia quæ reddam, nescio, deberi quidem plane fateor. Evangelia vero (si quæris) erant merces allati jucundi nuntii; vel etiam sacrificia, & supplicationes, quæ pro læto nuntio decerni olim a Romanis consueverant. Unde non immerito a Christianis *Evangelium* appellatum est saluriferum illud nuntium a CHRISTO veracissimo Patris Nuntio nobis allatum.

Denique Exclamatio servit interdum Ironiæ. Ita (a) Tullius: *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum!* & in Pisonem: *O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paulum! rusticum Marium! nullius consilii patres istorum amborum Consulum, qui triumpharunt!*

Quibus potissimum in locis utendum est Exclamatione?

R. Adhibenda est præsertim in Amplificatione, in Perorationibus, ubi res magnas auditori persuaseris. Exclamare enim in rebus minutis frigidum esset, ac puerile.

§. III. De Dubitatione.

Quid est Dubitatio?

R. Dubitatio est (b) Schema, quo Orator fluctuans, animique pendens dubitat aliquandiu quid sibi agendum, dicendumve sit. Ita Scipio apud Livium (c) milites alloquitur quasi dubitans: *Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat, quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descivistis. An milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, Sacramenti religionem rupistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum Civium agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium video.*

III.

(a) *Philip.* 3. (b) *Habitus, figura.*
(c) *Decade III.*

Illustre omnino Dubitationis exemplum suppeditat nobis Virgilius, cum Didonem ita dubitantem inducit: (a)

En quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrum
Jussa sequar . . . .
An Tyriis, omnique manu stipata meorum
Insequar? Et quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, & ventis dare vela jubebo?

Deinde sequitur electio, quæ fit nimirum, cum is qui dubitat, subito consilium capit, quasi oborta sibi nova quadam luce:

Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

Est item apud Ciceronem egregium aliud ejusdem Schematis exemplum in Oratore: *Utrum difficilius, aut majus esset negare tibi sæpius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi. Nam & negare, ei quem unice diligere, cuique me charissimum esse sentirem: præsertim, & justa petenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur; & suscipere tantam rem, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar esse ejus, qui vereretur reprehensionem doctorum, atque prudentium.*

Habes etiam breve, sed luculentum dubitationis exemplum in illis Tiberii verbis apud Tacitum in Annalibus: *Quid scribam, P. C., aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dii me, Deæque pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio.*

D 6 §. IV.

(a) *Æneid.* 4.

§. IV. De Obsecratione.

Quid est Obsecratio?

R. Obsecratio, ut nomen ipsum per se satis indicat, fit, cum alicujus sive Dei, sive hominis opem imploramus. Hoc Schemate mirum in modum utitur Tullius pro Rege Dejotaro: *Quamobrem hoc nos primum metu, C. Cæsar, per fidem, & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram, non tam in bellis, & in præliis, quam in promissis, & fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti: te ejus Dii penates acceperunt; te amicum, & placatum Dejotari Regis aræ, focique viderunt.*

Vehemens est etiam; atque flexanima (a) Palinuri ad Æneam obtestatio apud Virgilium Æneid. 6.

Quod te per Cœli jucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Juli.
Eripe me his, invicte, malis. Aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos:
Aut tu, si qua via est, si quam tibi Diva creatrix
Ostendit (neque enim credo sine numine Divum
Flumina tanta paras, Stygiamque innare paludem)
Da dexteram misero, & tecum me tolle per undas.

Hæc figura, præ cæteris, vehemens est, & in perorationibus potissimum solet adhiberi.

§. V.

(a) *Palinurus Æneæ navis gubernator, qui somno oppressus, una cum gubernaculo in mare delapsus est,*

§. V. De Imprecatione.

QUid est Imprecatio? R. Est execratio quædam, qua malum imprecamur alicui, vel etiam nobismetipsis. Tale est illud Ciceronis pro Dejotaro: *Dii te perdant, fugitive. Ita non modo nequam, & improbus, sed etiam fatuus, & amens es*. Et in Antonium: *Quin tu abi in malam rem, malumque cruciatum*. Tale est etiam illud Didonis: (a)

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallantes umbras Erebi, noctemque profundam;
Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.

§. VI. De Interrogatione, & Subjectione.

QUid est Interrogatio? R. Fit, cum interrogamus aliquem, non tam ad rem dubiam quærendam, quam ad urgendum, instandumque, & ad vehementiorem affectum exprimendum. Ita Cicero Catilinam urget hisce verbis: *Patere tua consilia non sentis? Constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?*

Quibus sane interrogationibus Catilinam multo acrius pungit Cicero, quam si frigide diceret: Patent, Catilina, tua consilia; conjuratio tua omnium conscientia constricta tenetur; quid egeris, nemo ignorat. Similiter poterat dicere Virgilius:

Ipse

(a) *Æneid.* 4.

Ipse ego te vidi Damonis, pessime, Caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca.

Sed plus spiritus, nervorumque habet hæc interrogatio: (a)

Non ego te vidi, Damonis, pessime, Caprum
Excipere insidiis?

Quod si interrogationi subjiciatur responsio, Subjectio vocabitur. Sic Tullius pro lege Manilia: *Quid tam novum, quam adolescentulum privatum, exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere? Confecit. huic præesse? Præfuit. rem optime ductu suo gerere? Gessit. Quid tam præter consuetudinem, quam homini adolescenti, cujus a Senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in iis Provinciis singulari innocentia, æquitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

§. VII. De Præteritione, & Reticentia.

QUid est Præteritio?

R. Præteritio, quæ Ciceroni videtur in amore, & in deliciis fuisse, fit cum simulamus nos, vel nescire, vel nolle dicere id, quod vel maxime dicimus. Ita Tullius suum Pompejum magnifice laudat per præteritionem:

Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiaque, terra, marique, quantaque felicitate gesserit; ut ejus semper voluntatibus non modo Cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint, hoc brevissime dicam....

Habes etiam luculentam ejusdem Tulii præteri-

(a) *Ecl.* 3.

teritionem in Vatinium: *Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. Licet impune per me, parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. Habet hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis tegatur.*

Præteritioni vicina est, & affinis Reticentia, Aposiopesis Græce dicta: quæ fit cum orationem abrumpimus subito, & reticemus aliquid, ut majora auditoribus cogitanda relinquamus, quia nimirum quæ latent, graviora putantur. Tale est illud (a) Juvenalis:

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum.
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Illustre omnino hujusce Schematis exemplum nobis suppeditat Virgilius Æneid. 1. ubi Neptunus ventos tumultuantes sic increpitat:

Jam Cœlum, terramque meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego .... sed motos præstat componere fluctus.
Post mihi non simili pœna commissa luetis.

Aposiopesi utimur ob pudorem, ut Virgilius in Ecloga 3.

Novimus & qui te .....

§. VIII. De Expolitione.

QUid est Expolitio?

R. Expolitio sive Commoratio, & Exornatio (nam tria hæc vocabula unum, atque idem sonant) est figura ad motus excitandos valde insignis.

Fit autem, cum eamdem sententiam variis modis versamus, ut altius in auditorum animis desigatur. Ita Cicero pro Sextio: *An mihi ipsi, ut qui-*

(a) *Sat.* 8.

quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortem ne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? tam eram rudis? tam ignarus rerum, tam expers consilii, aut ingenii? nihil audieram, nihil videram, nihil ipse legendo, quærendoque cognoveram? nesciebam vitæ brevem esse cursum, gloriæ sempiternum? quum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quæ necessitati deberetur, Patriæ potius donata, quam reservata naturæ videretur? Nesciebam, inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent, animos hominum, sensusque morte restingui; alii autem, tum maxime mentes sapientum ac fortium virorum, quum e corpore excessissent, sentire ac vigere? quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu; alterum etiam optandum, meliore esse sensu.

§. IX. De Epiphonemate.

Quid est Epiphonema?

R. Est exclamatio sententiosa; quæ fieri solet post rem aliquam insignem vel narratam, vel probatam. Ut cum Virgilius, post narratos classis Trojanæ labores, sic exclamat sententiose: (a)

Tantæ molis erat Romanam condere gentem;

Sic etiam Lucretius lib. 1. post commemoratum exemplum Agamemnonis, filiam suam Iphigeniam immolantis, hac gravi sententia claudit narrationem:

Tantum Relligio potuit suadere malorum.

Simile est illud Ciceronis in libro de Senectute: *Senectutem ut adipiscantur, omnes optant; eam.*

(a) *Æneid.* 1.

eamdem accusant (a) *adeptam: tanta est inconstantia, stultitia, atque perversitas*. Sic etiam Virgilius, postquam Apum, in melle conficiendo, industriam, laboresque descripsit, hoc addit Epiphonema:

Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Itemque hoc 2. Georgicorum:

— Adeo a teneris consuescere multum est:

Et alio in loco, de crudeli atque impio Polymnestore loquens: (b)

Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. QUID non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

CAPUT II.

De Figuris ad delectandum magis idoneis.

§. I. De Apostrophe.

Quid est *Apostrophe*?

R. Est Schema, quo sermonem ad aliam personam, vel quasi personam convertimus, quam instituta oratio requirat. Ita Cicero pro Milone: *Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro Republica sanguinem effudistis: vos in viri, & Civis invicti appello periculo, Centuriones, vosque milites; vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic judicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur?*

Apo-

(a) *Alii* Adepti, *quæ lectio videtur melior*.
(b) *Æneid*. 3.

Apoſtrophe fit aliquando ad Superos, ad invocandum. Ita Tullius 1. in Catilinam: *Tum tu, Jupiter, qui iiſdem, quibus hæc urbs, auſpiciis a Romulo es conſtitutus, quem ſtatorem hujus urbis, atque Imperii vere nominamus, hunc & hujus ſocios tuis aris, cæteriſque templis, a tectis urbis, a mœnibus, a vita, fortuniſque omnium Civium arcebis; & omnes inimicos bonorum, hoſtes Patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe, ac nefaria ſocietate conjunctos, æternis ſuppliciis vivos, mortuoſque mactabis.*

Non tantum ad perſonas fit Apoſtrophe; ſed etiam ad res inanimes, ſenſuque carentes, aut aliquando etiam ad belluas. Ejuſmodi eſt apud Virgilium notiſſima illa Mezentii Apoſtrophe ad equum ſuum, nomine Rhœbum:

Rhœbe, diu (res ſi qua diu mortalibus ulla eſt)
Viximus ....

Ita Cicero pro Milone: *Vos enim jam Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obteſtor, voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum Populi Romani ſociæ, & æquales.* Poetis porro nihil familiarius eſt, quam illa ad res ſenſu carentes Apoſtrophe. Ita Dido moriens Æneid. 4.

Dulces exuviæ, dum Fata, Deuſque ſinebant;
Accipite hanc animam, meque his exolvite curis.

Quænam ſunt Apoſtrophes regulæ?

R. Tres. 1. Raro eſt uſurpanda. Si enim crebrius adhibeatur, inepta erit, & frigidiuſcula.

2. Tametſi multis videatur, Apoſtrophem in ipſo dicendi principio nequaquam adhiberi poſſe, interdum tamen Orationem inchoat egregie, ut docet initium primæ Catilinariæ: *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra?*

3. Fas

3. Fas est Poetis, solius metri caussa, Apostrophem adhibere. Ita Ovidius lib. 3. Tristium,

Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas, (a) Perseu, Dædale, sive tuas.

§. II. De Hypotyposi.

Quid est Hypotyposis?

R. Est figura, qua res ita (b) graphice describitur, ut non tam audiri, vel legi, quam ante oculos versari videatur. Splendidum in primis, ac illustre illius exemplum habes in septima Verrina, ubi Tullius Verris inhumanitatem oculis ita subjicit: *Ipse inflammatus scelere, & furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset; cum repente (c) Hominem corripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet. Clamat ille miser, se Civem esse Romanum.*

Nihilo inferior est Virgiliana illa de Mezentii equo Hypotyposis, quam merito mirantur omnes: (d)

Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.

Hypotyposim creberrime solent usurpare Poetæ, ac presertim Virgilius, qui res adeo vivis, & spirantibus, ut ita dicam, coloribus describit, ut pene sub oculos cadant. Ita Cyclopes depingit Æneid. 8.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra
Pyracmon.

Alii

(a) *Perseus Jovis filius, talaribus a Mercurio donatus Andromedam liberavit.*

(b) Ital. *esattamente, e quasi pittorescamente a pennello.* (c) *Gavium Civem Romanum.*

(d) *Æneid. 10.*

. . . .
— Alii ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii stridentia tingunt
Æra lacu, gemit impositis incudibus antrum:
Illi inter sese, multa vi, brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam;

§. III. De Prosopopœja.

QUid est Prosopopœja?
R. Prosopopœja est fictio personæ; seu Schema, quo personæ mortuæ, vel absenti, aut etiam rei sensu carenti sermonem tribuimus, per quamdam licentiam oratoriam; v. gr. cum inducimus loquentem Urbem, Provinciam, Angelum, Beatum, parientem, aliaque id genus. Talis est apud Lucanum celebris illa Prosopopœja Patriæ; quæ Julio Cæsari juxta fluvium Rubiconem apparens, illum a Civili bello dehortatur: (a)

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes;
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Cœperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa Duci Patriæ trepidantis imago
Clara, per obscuram, vultu mœstissima, noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui: Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa viri? Si jure venitis,
Si Cives, huc usque licet.

Sic etiam Tullius in prima Catilinaria ita loquentem Patriam inducit: *Quæ* (Patria) *tecum, Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per te: nullum flagitium sine te. Tibi uni multorum neces, tibi vexatio, direptioque sociorum impunita fuit, ac libera. Tu non solum ad negligendas leges, & quæstiones, verum etiam ad ever-*

(a) *Lib. 1. Pharsaliæ.*

evertendas, perfringendasque voluisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui, tuli; Nunc vero me totam esse in metu; propter te unum, (a) quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorrent, non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe. Si verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam: Hac si tecum, ut dixi, Patria loquatur, &c.

Venustissimum est, & Aurea Augusti ætate dignissimum Epitaphium hoc, in quo viventem maritum per Prosopopœjam sic alloquitur uxor mortua:

Immatura perj; sed tu felicior annos
Vive tuos, conjux optime, vive meos:

§. IV. De Ethopœja.

Quid est Ethopœja?

R. Ethopœja est expressio morum, seu Schema, quo alicujus studia, mores, indolem, ingenium verbis exprimimus. Ita Sallustius (b) Catilinam omnibus artis coloribus egregie pingit in illa Ethopœja, tantopere omnium consensione laudata.

Ethopœja Catilinæ.

Lucius Catilina nobili genere natus, fuit magna vi & animi, & corporis, sed ingenio malo, pravoque. Huic ab adolescentia, bella intestina, cædes, rapina, discordia Civilis grata fuere; ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuique credibile est. Animus audax, subdolus, varius; cujuslibet rei simulater, ac dissimulator, alieni appe-

(a) Ital. *Che per ogni romor, che si senta, s'abbia a temer Catilina.* (b) *In bello Catilinario.*

appetens, sui profusus. Ardens in cupiditatibus: satis eloquentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.

Sic etiam Plautus senis avari, sordidique mores mirabiliter exprimit, (a) dum illum inducit hæc servo suo mandata dantem:

Senex avarus.

Cave quemque alienum in ædem intromiseris,
Si quispiam ignem quærat, extingui volo,
Ne caussæ quid sit, quod te quisque quæritet.
. . . .
Tum aquam effugisse dicito: si quis petet
Cultrum, securim, (b) pistillum, mortarium,
Quæ utenda vasa semper vicini rogitant;
Fures venisse, atque abstulisse dicito.

Mulierum mores graphice pingit Terentius, dum ait: *Novi ingenium mulierum: Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro* Et alio loco *in Heau.* 2. 2 11. *Nosti mores mulierum, dum* (c) *moliuntur, dum comuntur, annus est.*

Ethopœja dividitur in Prosopographiam, & in Ethopœjam proprie dictam, de qua jam egimus.

Quid est Prosopographia?

R. Est expressio vultus, ac corporis totius, seu Schema, quo alicujus vultum, os, lineamenta, incessum, cultum, (d) habitumque omnem exprimimus. Ita Martialis deformem Zoilum lepide pingit:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Sic etiam Franciscus Vavassor in suo illo eximio *de ludrica dictione* libro Socratis habitum, os, figuramque depingit:

So-

(a) *In Aulularia.* (b) Ital. *pestello.* (c) Alii alia: ego sic: *Macchinano, e studiano la maniera di abbigliarsi.* (d) Ital. *portamento.*

Socrates Æsopo non absimilis deformitate corporis fuit: utpote (a) *simis naribus, extantibus & prominentibus oculis, recalva fronte, pilosis humeris,* (b) *obeso ventre* (c) *repandis cruribus, quem propterea recte Alcibiades cum Sileno, & Satyris etiam forma, & specie contulit. At licuit semper animadvertere, luscos,* (d) *gibbosos,* (e) *ventriosos, claudos, similesque eorum eo fere dicaciores esse hominibus cæteris, quo sunt vitiis corporis insigniores, materiamque prabent ad jocandum majorem; sive quod sapius lacessiti propter suam fœditatem, assuescant vicissim adversarios repungere, atque ita exercitatiores in eo ipso genere fiant: sive quod priores occupant, ne feriantur, aut ut feriantur levius.*

Feliciter admodum miscentur Prosopographia, & Ethopœja proprie dicta, & ex tali mixtura Schema gratissimum efflorescit, ut liquet in exemplo sequenti, ubi M. Calphurnium sic pingit (f) Tullius: *Consul ipse parvo animo, & pravo: tantum* (g) *cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculus; a quo nihil speres boni Reipublica, quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet.*

CAPUT III.

De Figuris ad docendum idoneis.

§. I. De Antithesi.

Quid est *Antithesis?*

R. Antithesis, sive oppositio est Schema, quo verba verbis, sententiæ sententiis opponuntur; cujus rei splendidum in primis, & illustre exem-

(a) Ital. *Schiacciate.* (b) *Pieno, panciuto.*
(c) *Strambo, Sbilenco, storto.* (d) *Gobbi.*
(e) *Tripponi, panciuti.* (f) *Ad Atticum.*
(g) Ital. *Burlone, o Faceto in quella sorta fantastica, e sdegnosa di burle, ch' è propria degli stitici*

exemplum habes in 2. Catilinaria: *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido. Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus; postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita; mens sana cum amentia: bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit.*

Sic Martialis in amicum quemdam morosum, sibique imparem, facete ludit per Antiheses (a):

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Ita Ovidius (b):

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis;
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Sic etiam Justinus (c) Agathoclem, Syracusis obsessis, bellum nihilominus in Africam transferentem, laudat per Antitheses: *Mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret; & qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena, victusque victoribus insultaret.* Ejusdem etiam generis est memorabile illud dictum Augusti jam ætate valde provecti, ad nobiles quosdam juvenes, qui forte tumultuabantur: *Audite, juvenes, senem, quem juvenem senes audivere.*

Hoc etiam modo Horatius in Odis: *Privatus illi census erat brevis, commune magnum*; & post illum (d) Seneca:

Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.

§. II.

(a) *Lib.* 12. (b) 1. *Metam.* (c) *Agathocles Siciliæ Tyrannus, patre figulo natus. Lib.* 22.
(d) *In Hyppolito.*

§. II. De Sustentatione.

Quid est Sustentatio?

R. Est figura, qua Orator, ad sibi conciliandam attentionem, & ad excitandos, arrigendosque auditorum animos, illos tenet aliquandiu suspensos, incertosque quid dicturus sit, ut cum Tullius ait contra Verrem: *Etiamnum mihi expectare videmini, judices, quid deinde factum sit.... expectate facinus quam vultis improbum; vincam tamen expectationem omnium.*

Habes salsum, & facetum Sustentationis exemplum in Martialis Libro 6.

In Lupercum.

Quod convivaris sine me tam sæpe, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque, rogesque
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

§. III. De Communicatione.

Quid est Communicatio?

R. Est figura, qua Orator, caussæ suæ confidens, deliberat cum iis ipsis, apud quos, vel contra quos dicturus est, illos nimirum consulens, quid dicturus sit. Egregium hujusmodi exemplum habes in Verrina 2. ubi Cicero summam caussæ suæ fiduciam ita demonstrat: *Nunc vos consulo quid mihi faciendum putetis. Id enim consilii profecto taciti dabitis, quod ego mihi necessario capiendum intelligo.* Et pro Cæcinna: *Quæro, si te hodie domum tuam redeuntem homines armati, non modo limine, tectoque ædium tuarum, sed primo aditu, vestibuloque prohiberent, quid acturus sis?*

§. IV. De Correctione.

Quid est Correctio?

R. Correctio, seu Retractatio, est Schema, quo Orator sententiam, aut vocem a se prolatam retractat, ac veluti corrigit. Ita Cicero

pro Cœlio: *O stultitia! Stultitiamne dicam, an impudentiam singularem?* Et prima Catilinaria: *Quamquam quid loquor? Te ut ulla res frangat? Tu ut unquam te corrigas? Tu ut ullam fugam meditere? Tu ut ullum exilium cogites? Utinam tibi istam mentem Dii immortales donarent!*

Sic etiam Terentius in Comœdia, quæ inscribitur (a) *Heautontimorumenos*, miserum senem Menedemum sic loquentem inducit:

Filium unicum adolescentulum
Habeo. Ah! quid dixi habere me? Imo habui, Chreme:
Nunc habeam, nec ne, incertum est.

CAPUT IV.

De Figuris verborum.

Figuræ verborum aliæ sunt tropi, aliæ non sunt tropi. Figuræ, quæ sunt tropi, fiunt tantum in verbis translatis, hoc est a sensu sibi proprio in alienum sensum traductis, ut cum dicimus: *Latas segetes. Prata rident. Geminos duo fulmina belli Scipiadas*, &c. Figuræ vero, quæ non sunt tropi, fiunt etiam in verbis propriis, ut cum ait Tullius: *O tempora! O mores!* Et alio loco, *Abiit, excessit, evasit, erupit.*

§. I. De Tropis.

Quid est Tropus?

R. Tropus est verbi, vel (b) Orationis e propria significatione in alienam immutatio, cum virtute ac dignitate; ut cum dicitur, *Mulus* pro *Stupido*; vel *Laterem lavare*, pro *Frustra laborem suscipere*, instar laterem lavantis.

Ista

(a) *Vox composita, quæ Græce sonat*, se ipsum puniens: *vulgo* Nojoso a se stesso.

(b) Ἐξαλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον. *Arist.*

Ista porro immutatio, sive conversio fit cum virtute ac dignitate, hoc est ad addendum orationi pondus, majoremque illi venustatem & dignitatem conciliandam. Porro Tropus sic appellatur a voce Græca τρέπω, *verto*, ut ad verbum *Inversionem* sonet.

Hæc autem Inversio fit multiplici, variaque ratione, sed quatuor potissimum modis, unde existunt primarii quatuor, nobilissimique Tropi, nempe Metaphora, Metonymia, Synecdoche & Ironia, de quibus sigillatim tractandum est.

§. II. De Metaphora.

Quid est Metaphora?

R. Metaphora, seu Translatio est tropus; quo vox aliqua a propria significatione ad alienam transfertur, ob similitudinem: Ut cum ait Tullius ad Cæsarem: *Parietes hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt*. Vox illa, *Gestire*, quæ est hominis propria, transfertur ad parietem, cujus non est propria; sed cum quo tamen habet hoc loco quamdam similitudinem & affinitatem.

Hunc porro usum ac modum verba transferendi necessitas genuit, cum scilicet verba propria deessent; postea vero delectatio jucunditasque celebravit. Quemadmodum enim vestis depellendi frigoris caussa primum reperta, postea etiam adhiberi cœpta est ad ornatum corporis & dignitatem; sic verbi translatio, solius nopiæ caussa primum instituta, deinde etiam fuit ad delectationem, & ad ornatum orationis frequentata.

Undenam potissimum ducuntur Metaphoræ?

R. Ex omnibus omnino rebus duci possunt, a divinis, a cœlestibus, ab elementis, meteoris, lapidibus, metallis, plantis, bestiis, hominibus, eorumque operibus: adeo ut non minus late pateat Metaphora, quam similitudo, quæ a re qualibet duci potest.

Metaphora ducitur, 1. a Divinis, ut apud Ciceronem. *Deus ille noster Plato*. Itemque apud Martialem magnificentissima illa Romæ laudatio (a):

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

2. Sumitur ab Elementis, ut cum dicitur a Tullio: *Nullius tantum est flumen ingenii, nulla scribendi, aut dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ, non dicam exornare, sed enarrare, Cæsar, res tuas gestas possit*.

3. Metaphora sumitur e stirpibus, plantis, & arboribus. Ita Cicero: *Virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nulla umquam vi labefactari potest*.

4. Sumitur a rebus arte, manuque factis. Ita (b) Appion ille, contra quem Josephus scripsit, vocabatur, *Cymbalum mundi*. Longinus vero Rhetor eximius, appellabatur *Viva Bibliotheca, & Museum ambulans*; quod etiam de Origene dictum accepimus. Imperator autem Helvius Pertinax *Fortunæ Pila* fuit vulgo nuncupatus, quod nempe variis fortunæ casibus fuisset exercitus. Denique Augustus homines illos, qui solerti, promptoque erant ingenio ad res ex tempore conficiendas, lepide ajebat, *Argentum habere* (c) *In numerato*, Metaphora a pecuniis ducta.

5. Metaphora ducitur ab homine; ut cum ait apud Virgilium Palinurus:

Mene salis placidi vultum, fluctusque quietos
Ignorare jubes?

Reliquos Metaphorarum fontes, qui innumerabiles sunt, & cuilibet obvii, persequi singillatim, hominis esset otio intemperanter abutentis.
Qua-

(a) *Lib.* 2.
(b) *Appion Grammaticus Alexandrinus vixit tempore Tiberii*. (c) Ital. *In contanti*.

Quatuor tamen præcipua capita Quintilianus enumerat, ad quæ omnes Metaphoræ commode possunt revocari.

Primo fit Metaphora, cum a re quapiam animata ad rem aliam animatam verbum transferimus : ut cum ait Titus Livius : *Scipionem a Catone solitum allatrari*; quæ vox, *Allatrare* cum propria sit solius canis, tribuitur tamen homini non inconcinne. Sic etiam Christus ipse Herodem, ob mores vulpinos, hoc est ob calliditatem, atque versutiam, vulpem appellavit, Lucæ cap. 13. *Ite, & dicite vulpi illi.*

Secundo fit Metaphora, cum inanima pro aliis inanimis ponuntur; ut *Habena* pro *Gubernaculo*; *Frænum* pro *Lege*; *Vinculum* pro *Communitate*; vel si dicas cum Tullio: *Hic orationis vela contrahamus.*

Tertio, cum inanima transferuntur ad animata: ut cum ipsa civitatis lumina extincta dicuntur in morte præstantium virorum; & cum ait Catullus:

O qui flos es juvenculorum;

Quarto denique præcipuam quamdam venustatem habet, cum rebus inanimis, sensuque carentibus sensum quemdam, animosque, ac veluti vitam damus; ut cum ait Virgilius:

— Pontem indignatus (a) Araxes.

Sic etiam Cicero pro Ligario : *Quid enim Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus mucro ille petebat? qui sensus erat armorum tuorum?*

§. III. Quid vitandum in Metaphora.

QUænam Metaphoræ dicuntur vitiosæ?

R. Vitiosæ dicuntur Metaphoræ illæ, quæ humiliores sunt, sordidæque, & ab re quapiam abje-

(a) *Araxes Armeniæ fluvius.*

abjecta, deformique desumptæ. Talis est ista; quam damnant Tullius, & Quintilianus: *Stercus Curiæ Glauciæ*; itemque ista: *Saxa mundi* (a) *verrucæ*, id est *rupes*. Horatius quoque ob eamdem caussam notavit versum illum cujusdam M. Furii Bibaculi: (b)

Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes.

Quid enim sordidius, ac turpius, quam Metaphoram a sputo mutuari? Hoc eodem humilitatis, &, ut ita dicam, ignobilitatis vitio laborare videtur celebris illa (c) Tertulliani Metaphora, qua diluvium appellat *Naturæ generale* (d) *lixivium*.

2. Vitiosæ dicuntur Metaphoræ, quæ duriores sunt, vel longius accersitæ, vel quæ rem nimis amplificant; ut si dicas: *Syrtim Patrimonii, Charybdim bonorum*; quod profecto duriusculum est; & a Tullio jure damnatum. Quod si verearis, ne durior paulo, & audacior videatur Metaphora, poteris illam mollire, ac mitigare illis, aut similibus vocabulis: *Ut ita dicam*.... *quasi*.... *pene* .... *Si ita loqui fas est*, &c. ut si dicas, *Mortuo M. Catone pupillum relictum esse Senatum*, poterit audacior videri hæc translatio: si vero dixeris cum Tullio, *Pupillum, ut ita dicam, relictum esse Senatum*, duriuscula Metaphora, hoc velut apposito condimento, mitescet. Nam, ut sapienter admodum monet idem Tullius, *Verecunda debet esse translatio*, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non vi venisse videatur.

3. Vitium est in Metaphora, si nimis poetica sit: v. gr. si Orator dicat cum Virgilio, *Volucres pennis remigare*; aut si cum Horatio dicat de Euro:

Per Siculas equitavit undas.

Ne-

(a) *Porri*. (b) *Sat. 5. lib. 2.* (c) *Tertullianus scriptor Ecclesiasticus, acris & vehementis ingenii, floruit initio tertii sæculi*. (d) Ital. *Liscia*.

Neque enim quæcumque Poetis licent, ea omnia Oratoribus licere existimandum est.

4. Metaphorarum vitium est immoderata quædam illarum coacervatio. Etsi enim nullus est florentior tropus, & qui plus luminis afferat orationi, non tamen frequentari nimium debet: nam ut modicus illius usus maximopere delectat, ita immodicus non parum affert satietatis, atque fastidii, & in ænigma transit, aut in allegoriam.

5. Denique vitiosa est Metaphora, quæ sibi non constat, res nimirum omnino dissimiles inter se conjungendo. Quippe, ut docet Fabius; *Id in primis est custodiendum, ut quo ex genere cœperis translationes, hoc desinas. Multi enim cum initium a tempestate sumpserint, incendio, aut ruina finiunt, quæ est inconsequentia rerum fœdissima*. Quamquam, ut loquar ingenue, huic de perpetua, sibique consentanea translatione Rhetorum præcepto non adeo severe a summis viris obtemperari video. Scimus enim diversas omnino Metaphoras eleganter sæpe fuisse conjunctas a Virgilio, ab Horatio, a Catullo, &c. sic triplex est Metaphora in duobus hisce versibus Horatii: (a)

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit;
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Prima est de feris, quæ proprie mansuescunt, & cicurantur. Altera est de fructibus, qui acerbi sunt, & proprie mitescunt. Tertia est ab agris, quorum propria est cultura.

§. IV. De Allegoria.

QUid est *Allegoria*?

R. Allegoria est Metaphorarum continuatio, seu figura, qua aliud verbis dicitur, aliud re ipsa intelligitur, unde non absurde vocatur

(a) *Epist. 1. lib. 1.*

Diversiloquium; quod nimirum aliud dicatur; aliud sentiatur.

Hujusmodi est insignis illa Ciceronis in Pisonem Allegoria: *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus, Reipublicæ navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos; alias prospexi animo procellas; aliis impendentibus tempestatibus non cessi; sed unum me pro omnium salute obtuli.*

Illustris est, & omnibus nota illa Horatii Ode Allegorica de bello civili, Lib. 1.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides ut
Nudum remigio latus,
Et Malus celeri saucius Africo;
Antennæque gemant? ac sine funibus
Vix durare Carinæ
Possint imperiosius
Æquor? Non tibi sunt integra lintea, &c.

In hac eximia Allegoria navim pro Republica; fluctus pro civili bello; portum pro pace concordiaque; remigium pro Militibus; nautas pro Magistratibus; Malum pro præcipuis Ducibus usurpat Horatius; & ab initio ad finem egregie sibi constat, quod in Allegoria præcipuum est.

§. V. De Metonymia.

Quid est Metonymia?

R. Metonymia, quæ etiam vocatur Hypallage, seu Transnominatio, est troporum omnium vastissimus, atque usitatissimus. Fit autem quatuor potissimum modis. 1. cum caussa, vel quasi caussa ponitur pro effectu, & cum rerum inventor, & auctor usurpatur pro rebus ipsis, quas inve-

invenit; ut Mars pro bello; Ceres pro frugibus; Vulcanus pro igne, Cicero, aut Virgilius, pro scriptis illorum; Dux exercitus pro exercitu ipso. Sic dicimus, vario Marte pugnatum est; hoc est vario belli eventu; & Virgilius, *Onerantque canistris dona laborata Cereris*; id est *panis*. Et Georgicorum libro 2.

Bacchus amat colles; Aquilonem; & frigora taxi.

Sic etiam dicimus, ab Hannibale apud Cannas cæsa fuisse sexaginta Romanorum millia; hoc est ab Hannibalis exercitu. Fit item hoc primo modo Metonymia, cum possessor usurpatur pro re possessa, ut cum ait Virgilius Æneid. 2.

Jam proximus ardet
Ucalegon.

Hoc est domus Ucalegontis.

R. Fit Metonymia, cum sumuntur effecta pro caussis, ut scelus pro scelerato ipso: Ita Comicus: *Ubi est scelus ille, qui me perdidit?* Ita Virgilius 2. Æneid.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes.

Ubi *Crimen* ponitur pro perfido Sinone criminis auctore, & hic est germanus illius loci sensus: ex uno Simone disce Græcos omnes esse perfidos. Ita Cicero 1. in Verr. *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno Pratore per triennium pertulisse*. Fit etiam, cum id, quod proprium est effectui, tribuitur caussæ, & hoc Poetis valde familiare est: Ita timor dicitur fugax; mors dicitur pallida; morbi dicuntur pallentes, quia fuga est effectus timoris, & pallor est effectus morborum, & mortis. Sic Horatius: *Pallida mors aquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque Turres*. Sic Virgilius:

Pallentes habitant morbi, tristisque senectus.

3. Fit Metonymia, cum res, quæ continet, usurpatur pro re contenta, ut Roma pro Romanis, Cœlum pro Cœlestibus, terra pro terræ incolis. Huc pertinet illud Ciceronis pro lege Manilia: *Testis est Italia, quam ille ipse victor Sylla hujus virtute, & consilio confessus est fuisse liberatam. Testis est Sicilia, quam, multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit. Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum impiorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione, patefactum est.* Ubi *Italiam* pro *Italis*, *Siciliam* pro *Siculis* &c. usurpavit.

4. Cum signum usurpatur pro re significata, ut toga pro pace, fasces pro magistratu. Ita Cicero in Pisonem:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Huc refer, cum hæc vox *nomen* ponitur pro re ipsa: ita Livius lib. 1. *Ad singula oppida circumferendo arma nomen omne Latinum domuit.*

§. VI. De Synecdoche.

Quid est Synecdoche?

R. Synecdoche est tropus apud Oratores æque, ac Poetas valde usitatus, & tritus. Fit autem modis quatuor.

1. Cum pars ponitur pro toto, v. gr. mucro pro ense; tectum pro domo; puppis, vel carina pro navi integra: ita Virgilius Æneid. 2.

Non anni domuere decem; non mille carinæ.

Est autem *carina* ima pars navis. Sic etiam hominis anima sæpe usurpatur pro homine ipso. Ita Tullius; (a) *Vos mea charissima anima, sæpissi.*

(a) *Epist.* 14. *lib.* 14.

pissime ad me scribite. Eodem refer vulgares illas locutiones, quibus *Unus* accipitur pro *Pluribus*, ut cum dicit Virgilius: *Hostis habet muros*.

2. Fit Synecdoche, cum totum usurpatur pro parte: ut in hoc decantato Virgilii versu: (a)

Aut (b) Ararim Parthus bibet, aut Germania (c) Tigrim.

Et rursum Æneid. 12.

——— Fontemque, ignemque ferebant.

Ubi fons accipitur pro parte fontis. Huc pertinet etiam, cum *Plures* usurpantur pro *Uno*; ut cum ait Tullius: *Nos populo imposuimus*, & *Oratores visi sumus*; licet de se tantum loquatur.

3. Synecdoche fit, cum materia, ex qua facta res est, accipitur pro re ipsa, v. gr. ferrum pro gladio, pinus pro navi, argentum pro pecunia, quæ fit ex argento.

4. Denique fit Synecdoche, cum vel species sumitur pro genere, vel genus pro specie, ut Eurus, vel Aquilo, pro quolibet vento, Sabellicus sus, pro quolibet sue, Myrtoum, vel Carpathium mare, pro mari quocumque. Sic Maro:

Dentesque (d) Sabellicus exacuit sus.

Ita Juvenalis pro quolibet homine frugi, Curium appellat:

Qui (e) Curios simulant, & (f) Bacchanalia vivunt.

(a) *Eclog.* 1. (b) *Arar. Ital.* Senna, *fluvius est Galliæ*. (c) *Tigris Asiæ fluvius insignis, sic dictus a velocitate*.
(d) *Sabellici seu Sabini, populi Italiæ*.
(e) *M. Curius vir frugalis & optimus civis*.
(f) *Bacchanalia Bacchi festa, in quibus Romani crapulæ, & libidini indulgebant*.

Contra vero genus usurpabitur pro specie; si dicatur cum Virgilio *Ales* pro *Aquila*.

—— Prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio.

§. VII. De Ironia.

QUid est Ironia?

R. Ironia, quæ Socrati adeo fuit in deliciis, est figura, qua aliud plane dicimus, quam verba ipsa significare videntur: Quando v. gr. quempiam simulata laudatione falsе, ac ingeniose perstringimus, nimirum aliud aperte dicendo, aliud vero innuendo: unde recte vocatur a Quintiliano, *Diversiloquium*, *dissimulatio*, *&* *illusio*; ut sonat Græca ipsa Ironiæ vox.

Intelligitur autem Ironia, vel ex ipsa re, quæ dicitur, vel ipsa pronuntiatione certe quidem: ut si dicas: *O præclarum ovium custodem lupum!* Ita Juvenalis impiam æque ac stolidam Ægyptiorum superstitionem, qui non quadrupedes solum colebant, uti canem, simiam, felem, bovemque; sed plantas etiam ipsas, uti porrum & cepe, divinis prosequebantur honoribus, salse cavillatur hac faceta & eleganti Ironia Satyra 14.

Oppida tota (a) canem venerantur, nemo
Dianam;
Porrum & cepe nefas violare, aut frangere
morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Eximia est Ciceronis Ironia in Miloniana: *Sed stulti sumus*, inquit, *qui Drusum, qui Africanum, Pompejum, nosmetipsos cum Publio Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa: Clodii mortem æquo animo ferre nemo potest; luget Senatus; mœret Equester ordo; tota civitas confecta senio est; squalent municipia; afflictantur Coloniæ; agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.*

Iro-

(a) *Latrator Anubis.*

Ironiæ exemplum exquisitius apud veteres nullum habemus, quod sciam, quam lepidam illam Apocolocyntosim, in qua Seneca Claudium Imperatorem, qui vulgo (a) bardus, & imbellis habebatur, facetissime ludit. Est autem Apocolocyntosis Satyra quædam (b) Menippæa; qua fatuum Claudii caput multo urbanitatis sale defricatur. Ἀποκολοκύντωσις porrò vocatur, quasi dicas Metamorphosim in cucurbitam, ad significandam hominis insulsitatem; est enim κολοκύντη Græce *cucurbita*. In hac igitur eleganti Ironia Poetas in funere Claudii ita jocose cantantes inducit Seneca Philosophus.

Fundite fletus,
Fingite luctus:
Clamore forum:
Cordatus homo,
Fuit in toto

Edite planctus,
Resonet tristi
Cecidit pulchre
Quo non alius
Fortior orbe...
Deflete virum,

Quo non (c) alius
Dicere caussas,
Parte audita,
Quis nunc judex
Audiet anno?
Sede relicta,
Jura silenti,
Oppida centum.
Pectora palmis,
Venale genus,
Lugete novi;
Qui concusso
Lucra (e) fritillo.

Potuit citius
Una tantum
Sæpe, & neutra.
Toto lites
Tibi jam cedet,
Qui (d) dat populo
Cretæa tenens
Cædite mœstis
O Causidici,
Vosque Poetæ
Vosque in primis
Magna parastis

De

(a) *Bardus* idem ferme ac *stultus*.
(b) *Menippus Cynicus Philosophus, mordacibus Satyris notus, unde Satyra Menippæa*.
(c) *Claudius erat homo insanissimus*.
(d) *Minos Rex olim Cretæ, magnus erat aleator, & de alea librum scripsit*.
(e) *Fritilus, vulgo* Bossolo, *in cui si agitano i dadi nel giuoco dello Sbaraglino*.

De Regulis Ironiæ.

Quænam sunt Ironiæ Regulæ?

R. Duæ. 1. enim, quæ ambigua voce continentur, Ironiæ, eæ præcipuum quemdam leporem ac venustatem habent. Acuta quippe, jocosaque videri solent, quæ dicuntur ex ambiguo. Ita Neronem Matricidam, qui sese ab Ænea oriundum gloriabatur, non infacete lusit Poeta Romanus, teste Svetonio:

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem: (a) sustulit ille patrem.

Ita (b) Plagiarium ridet Martialis libro secundo:

Carmina Paulus emit, recitat sua Carmina Paulus:
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Sic etiam in virum, & uxorem eidem patibulo suspensos eximie lusit (c) Poeta recens:

Ecce jugo nexi pendent vir, & uxor eodem:
Hoc merito possis dicere conjugium.

2. Ironia fieri solet adhibendo voces illas *Scilicet, nimirum, si Superis placet, nempe*; illas, inquam, adhibendo cum amara quadam, & falsa vocis inflexione. Ita Terentius: *Id populus curat scilicet*: & apud Virgilium Dido Æn. 4.

Scilicet is Superis labor est; ea cura quietos
Sollicitat.

§. VIII. De Sarcasmo.

QUid est Sarcasmus, seu Subsannatio?

R. Sarcasmus, qui ad Ironiam pertinet, est amarulenta quædam irrisio, & truculentum genus Ironiæ, quæ fit cum magna quadam acerbita-

(a) *Matrem Agrippinam interfecit Nero.*
(b) *Plagiarius* est qui aliena scripta pro suis vendit. (c) *Joannes Comnitius e S. J.*

bitate, & contumelia, qua quispiam hosti crudeliter insultat: ut apud Virgilium Trojano a se interfecto per Sarcasmum insultat victor Turnus:

En, agros, & quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens. Hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.

Potestne Ironia inter Sententiarum figuras numerari, ut quibusdam placet?

R. Nequaquam. Liquet enim perspicuo Ironiam semper esse Tropum; cum semper voces a propria significatione traducat ad alienam.

Falsamne & mendacem orationem efficit Ironia?

R. Nequaquam; quia neque fallendi est animus Oratori, dum utitur Ironia; neque est justa caussa, cur fallatur auditor, si paulum modo intelligat quod dicitur, quemadmodum falli non solet, dum homo callidus, & versipellis per Metaphoram *Vulpes* appellatur.

Suntne alii Tropi, præter istos, de quibus egimus?

R. Sunt aliqui alii, sed qui ad superiores hosce quatuor omnino revocantur: ut Metalepsis ad Metonymiam; Antonomasia, & Syllepsis ad Synecdochem.

CAPUT V.

De Figuris verborum proprie dictis; seu quæ non sunt Tropi.

Quid sunt *Figuræ verborum proprie dictæ?*

R. Eæ sunt, quæ sic in verbis continentur, ut, mutatis illis, figura tollatur; v. gr. hæc sententia, *Amantes sunt amentes*, est figura verborum, quia perierit figura, si pro *Amentes* dicas *Stulti*, aut aliud simile. Sed est figura sententiæ, si quis Patriam inducat loquentem, aut si utaris similitudine, quia quæcumque demum hic usurpes verba, aut quocumque ea colloces ordine, manet Schema.

Quot modis fiunt figuræ verborum?

R. Fiunt tribus potissimum modis. 1. Per adjectionem: 2. Per detractionem: 3. Per similitudinem.

§. I. Figura per Adjectionem.

QUænam verborum Figuræ fiunt per Adjectionem?

R. Octo præcipuæ; nimirum Repetitio, Conversio, Complexio, Conduplicatio, Gradatio, Synonymia, Traductio, Polysyntheton.

Quid est repetitio?

R. Est Figura, in qua ab eodem vocabulo sæpius inchoatur oratio, ut 1. Catilinaria: *Nihil ne te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora, vultusque moverunt?*

Quid in repetitione cavendum est?

R. Valet mirum in modum in exaggerandis virtutibus, & vitiis, estque Schema plane venustum. Sed quia statim incurrit in oculos, propterea non est diutius continuandum, sed satius est, ut aliorum Schematum admixtione temperetur.

Quid est Conversio?

R. Est Figura Repetitioni prorsus contraria; in qua sæpius eodem vocabulo clauditur oratio, ut in Antonium Cicero: *Doletis tres exercitus P.C. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos Cives? Eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? Afflixit Antonius.*

Quid est Complexio?

R. Est figura, quæ Repetitionem simul & Conversionem complectitur, cum nimirum ab eodem verbo, vel abiisdem verbis incipiat, atque claudatur,

datur. Ita (a) Tullius. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus.* Sic etiam Martialis invidum quemdam per complexionem insectatur, Lib. 9.

Rumpitur invidia quidam, chariſſime Juli,
Quod me Roma legit; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba ſemper in omni
Monſtramur digito; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, tribuit quod Cæſar uterque
Jus (b) mihi natorum; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce ſub urbe eſt,
Parvaque in urbe domus; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod ſum jucundus amicis,
Quod conviva frequens; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur.
Rumpatur quiſquis rumpitur invidia.

Verum figura hæc, quia maxime ferit oculos, uti præcedentes, idcirco parce admodum, & in loco eſt adhibenda.

Quid eſt Conduplicatio?

R. Eſt ejuſdem vocabuli, vel plurium iteratio; ſive initio orationis, ſive in fine, ſive alibi: Ut cum ait Maro:

Nunc, nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii.

Et Libro Nono, cum ait Niſus:

(c) Me me, adſum qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli: mea fraus omnis.

Quid

(a) *Pro lege Agraria.* (b) *Magna illis præmia erant conſtituta, qui tres, aut plures habebant liberos, v. g. in ſpectaculis honoratior locus, &c. Hoc jus Martiali conceſſum fuit, tametſi nullos haberet liberos.*
(c) Subaudi: *Occidite,*

(a) Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, (b) Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ;

Quomodo fit Disjunctio?

R. Disjunctio, seu dissolutio fit, quando conjunctiones, & particulæ tolluntur, ut incitatior feratur oratio; ita Tullius; *Hæc studia litterarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium prebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

§. III. De Figuris per similitudinem.

Quot sunt Figuræ per similitudinem?

R. Tres in primis numerantur, nempe Paronomasia, similiter cadens, & similiter desinens.

Quid est Paronomasia?

R. Paronomasia, seu annominatio, est Figura; qua voces pene similes, ac (c) colludentes usurpantur in sensu dissimili. Ut cum ait Tullius ad Atticum: *Consul ipse parvo animo, & pravo, facie magis, quam facetiis ridiculus.* Et alibi: *Ex aratore factus orator.* Ita Martialis, qui in hoc genere frequens est:

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit: hæc (d) chiragra est.

Sic etiam ludit Ausonius in illo celebri Epigrammate de Venere:

Orta

(a) *Helenus Priami filius, Rex idem, & Phœbi sacerdos.*
(b) *Apollo dictus Clarius ab urbe Claro. Apollinis oraculo nobilis.* (c) Ital. *Corrispondendosi.*
(d) *Quæ nimirum manus ipsi constringit, ne quid patrono largiatur.*

Orta (a) ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo,
Æneadum genitrix hic habito alma Venus.

Græcis quoque admodum uſitata eſt Paronomaſia, ut apud Herodotum Lib. I. Παθήματα, μαθήματα, *Quæ nocent docent*. Ejuſdemque generis erat illud, quod Apollodorus pictor præclarus inſcripſerat operi ſuo:

Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Id eſt.
Facilius erit ridere, quam imitari.

Delectat in primis, & ferit hoc Schema, ſi parce, ac in loco adhibeatur, & ſententiarum gravitate ſuſtentetur. Si vero frigidas alluſiones, ut non raro fit, venetur orator, ineptus nimirum erit, & putidus.

Quid eſt Similiter cadens?

R. Eſt vocabulorum per eoſdem caſus, & per eadem tempora expreſſorum conſenſus quidam, & quaſi concentus: ut cum ait Cicero: *Quid tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* Ubi vides quatuor nomina in dativo plurali poſita. Ejuſdem generis ſunt triti illi Imperatoris Hadriani verſiculi, quos moriens (b) fecit:

Animula vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut ſoles, dabis jocos.

Quid eſt Similiter deſinens?

R. Fit, cum orationis vel membra, vel articuli eodem modo terminantur; ut apud Quintilianum: *Ejuſdem non eſt, & facere fortiter, & vivere turpiter*. Ita Cicero Pompejum laudans: *Bellum extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit*. (c).

§. IV.

a) *Venerem e maris ſpuma natam fabulantur Poetæ*.
b) *Apud Ælium Spartianum in vita Hadriani*.
c) *Pro Lege Manilia*.

§. IV. Appendix de Transitione.

QUid est Transitio?

R. Transitio, quam alii Figuram esse volunt, alii cum Fabio negant, est orationis quidam nexus, quo fit, ut apte copulata inter se illius membra concinne cohæreant; & unum quasi corpus efficiant.

Quot sunt Transitionis genera?

R. Duo. Transitio enim vel est perfecta, vel imperfecta. Transitio perfecta est, qua breviter monemus quid dictum sit, & quid dicendum restet: cujusmodi est ista pro lege Manilia: *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.*

Transitio imperfecta ea est, qua alterum tantum eorum exprimitur; ut in hoc Ciceronis pro Roscio: *Age nunc illa videamus, judices, quæ consecuta sunt.* Utriusque indiscriminatim generis selecta, ex Tullio præsertim, afferemus exempla; quoniam videmus in inveniendis hujusmodi Transitionibus solere Tyrones non mediocriter laborare.

Transitionum Ciceronianarum exempla selecta.

1. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum. Restat, ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum esse videatur.* 2. *Satis multa de periculo.* 3. *Uni epistolæ respondi: venio ad alteram....* 4. *Sed nimis multa de nugis: ad majora veniamus......* 5. *Verum ubi rerum testimonia adsunt, nihil opus est verbis.* 6. *Sed hæc vetera: illud recens, Cæsarem meo consilio interfectum.* 7. *Sed ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii, rem unam pulcherrimam transiliat oratio*

tio, *ad* (a) *Lupercalia veniamus*. *Non dissimulat, Patres conscripti, apparet esse commotum, sudat, pallet*. 8. *Sed arrogantiam hominis, insolentiamque cognoscite*. 9. *At etiam ausus es*. *Quid autem est, quod tu non audeas?* 10. *Sed jam satis multa de caussa: extra caussam etiam nimis fortasse multa*. *Quid restat, nisi ut orem, obtesterque vos Judices, ut misericordiam tribuatis fortissimo viro?* 11. *Quæstura illius demonstrata, reliqua attendite*. 12. *Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis caussa ducitur*. 13. *Atque ut facilius intelligere possitis Judices, quæ facta sunt, indigniora esse quam hæc sunt, quæ diximus; ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponam*. 14. *Sed hæc robustioris improbitatis scelera omittamus, loquamur potius de iniquissimo genere levitatis*. 15. *Id quo facilius facere possitis, dabo operam, ut a principio res quemadmodum gesta sit, cognoscatis*. 16. *Sed finis sit: neque enim pro lacrymis jam loqui possum, & hic se lacrymis defendi vetat*. 17. *Sed quoniam emersisse jam e vadis, & scopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur*, 18. *Accipite nunc aliud ejus facinus nobile, ut multis locis sæpe commemoratum, & ejusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur*. *Invenietis id facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum, & conclusum*. 19. *Plura de illo Archipirata dixi, quam volui, & tamen ea, quæ certissima sunt, hujus criminis argumenta prætermisi*. 20. *Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque meditemur*. 21. *Ad ejus Tribunatum, qui ad sese jamdudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam, contento studio, cursuque*

(a) Lupercalia Festa Solemnia in Panis honorem mense Februarii celebrari sol ta a Lupercis illius Sacerdotibus, qui nudi per urbem cursitabant. Luperci sic vocabantur, quod Pan Lupos arceret ab ovibus.

que veniamus. 22. *Atque hæc oblectationis, illa necessitatis*. 23. *Hæc mihi fere in mentem veniebant, quæ dicenda putarem de natura Deorum*. 24. *Quibus rebus expositis, satis docuisse videor, homines natura quanto omnes anteirent animantes*. 25. *Longa est oratio, multaque rationes, quibus doceri potest*. 26. *Sed quid ego longinqua commemoro?* 27. *Intelligo quam scopuloso, difficilique loco verser*. 28. *Sed quid ego his argumentis utor, quasi res dubia, aut obscura sit?* 29. *Magna sunt hæc, vel potius maxima. Jam vero quanto majus videbitur?* 30. *Multa hujusmodi proferre possem: sed genus ipsum videtis*. 31. *Nolo in hac re multus videri*. 32. *Sed quid ego hæc aut tam levia, aut tam minima recordor?* 33. *Itaque fateamur necesse est, nihil difficilius esse*. 34 *Quid loquar, quanta ratio in bestiis appareat?* 35. *Jam vero ista etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiæ*. 36. *Multa prætereunda sunt, & tamen multa dicuntur*. 37. *Vereor ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio*. 38. *Sinite me illa minora, ac quotidiana prætermittere*. 39. *Illud tamen, quamquam ad exitum festinet oratio, prætermittere nullo modo possum*. 40. *Verum hæc missa facio; illud quæro*. 41. (a) *De exordio satis dictum est: deinceps ad narrationem transeamus*. 42. *Quod ad definitiones, hactenus; reliqua videamus*. 43. *Nunc reliquorum Oratorum ætates persequamur*. 44. *Tempus est ad ceteras partes orationis proficisci. Deinceps igitur de dispositione dicemus*. 45. *De* (b) *statutis diebus dixi: nunc de Annalibus dicam*. 46. *Hæc de hero: quod sequitur, de pecore*. 47. *De multitudine quondam quod satis est, admonui, de obscuritate pauca dicam*. 48 *Sed* (c) *ut omisso principio, rem ipsam aggrediamur*. 49. (d) *Hactenus de Prin-*

(a) Ex Cicerone ad Herennium, vel potius ex Cornificio. (b) Ex Varrone. (c) Ex Seneca. (d) Svetonius de Caligula.

principis: quod sequitur, de monstro: 50. (a) *Jam quantum illud est, quod in occupationibus summi numquam intermittis studia doctrinæ?* 51. *Utinam vero mihi satis esset ad dicendum vel facultatis, vel temporis.* 52. *Hic hic, Auditores, animos ad insignis facti memoriam sempiternam erigite.* 53. *Sed hæc utcumque ferenda: hoc vero quis ferat?* 54. *Audistis gravissima: audite nunc graviora.* 55. *Sed hæc privatim: nunc quæ publice gesta sunt, videamus.* 56. *Verum hæc missa facio: illud quam...* 57. *Nihil jam dico de isto scelere.* 58. *Postularet hic locus ut dicerem de...*

Variis hisce, quas attuli, Transitionibus addito breviores hasce formulas, particulasque connectentes.

His adde; Accedit his; Huc accedit quod; Huc pertinet; Eodem pertinet; Jam vero quid dicam? Age vero explicemus nunc; His simillimum est; Postularet hic locus ut dicerem; Restat ut dicam; Nunc vero superest; Ex quo debet intelligi; Quid quod ausus est etiam? Omitto domesticas tuas sordes; Nam illud quid attinet commemorare? Ita est quemdamodum dixi.

CAPUT VI.

De Periodo.

Quid est Periodus?

R. Periodus est sententia brevis & absoluta, quæ certis partibus, sive membris a se invicem pendentibus, & quodam veluti vinculo connexis numerose comprehenditur. Nomen traxit a voce Græca, περίοδος, quæ significat ambitum atque circuitum.

F Quid

(a) Ex aliis.

Quid ſibi vult celebris illa Ariſtotelis definitio lib. 3 *Rhetoricæ, ubi ait,* (a) *Periodum eſſe orationem, quæ habeat principium, & finem, & magnitudinem, quæ uno quaſi aſpectu perluſtrari facile poſſit?*

R. Hanc Definitionem in noſtram perbelle quadrare: Principium enim illud, de quo loquitur Ariſtoteles, nihil aliud eſt, niſi primum Periodi membrum, quod ita ſuſpenſum ferri debet, ut aliud quidpiam ſubſequi omnino debeat; unde etiam vocatur principium. Medium vero ac finis ſunt reliqua periodi membra, quæ brevi quodam contractoque verborum ambitu debent illam circumſcribere. Unde vere dicitur, illam uno conſpectu facile cerni debere, unoque ſpiritu pronuntiari.

§. I. De partibus Periodi.

QUanam ſunt Periodi partes?

R. Periodus conſtat certis quibuſdam partibus, quarum majores appellantur *Membra*, (b) Græce *Cola*; minores vero appellantur *Inciſa*, Græce *Commata*.

Quid eſt membrum Periodi?

R. Membrum, ſive Colon eſt pars Periodi continens ſenſum aliquem, ſed ſuſpenſum ac imperfectum; v. gr. (c) *Antequam de republica, Patres conſcripti, dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror:* ecce tibi Periodi membrum, neque enim hic ſenſus orationis conquieſcit. Habebis Periodum abſolutam, ſi ad primum illud membrum accedet hoc alterum: *Exponam vobis breviter conſilium & profectionis & reverſionis meæ.*

Quid eſt Inciſum?

R. Inciſum, ſive Comma eſt pars membris: quem

(a) Λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν ϗ τελευτὴν, καθ' αὑτὴν, ϗ μέγεθος εὐσύνοπτον.
(b) Κῶλα, κόμματα (c) *Philip.* 1.

quemadmodum enim in Periodo membrum, sic in membro continetur incisum: v. gr. (a) *Nihil est, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius*; ex tribus hisce incisis membrum unum efficitur. Itaque dicere incisum est crebris id genus incisis, & articulis suam orationem distinguere.

Quandonam potissimum usurpanda sunt crebra illa Incisa?

R. Incisa mirum in modum valere, cum adversario vehementius & acrius instat orator. Ita Cicero per Incisa Pisonem increpat, illumque (b) cæsim, ac punctim, ut ita loquar, objurgat & ferit: *Non enim nos color iste servilis, non pilosa gena, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit. Pauci tua ista lutulenta vitia noveramus; pauci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ.*

§. II. De variis Periodorum generibus.

Quot sunt genera Periodorum?

R. Tria. Alia est Periodus bimembris, sive dicolos; alia trimembris, sive tricolos; alia quadrimembris, sive tetracolos. Plura enim, vel pauciora membra, aut vix, aut nullo modo patitur germana sinceraque Periodus. Singula porro hæc membra si vel paria sint, vel non valde disparia, multo gratior & venustior erit oratio.

Periodus bimembris.

Ergo & mihi mea pristina vita consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti (c), *& his omni-*

F 2

(a) *Cic.* (b) Ital. *Di punta, e di taglio.*
(c) *Cic. pro Marcello.*

Quid est Gradatio?

R. Gradatio, sive Κλίμαξ, est figura, qua per quosdam gradus, vel ascenditur ad summum, vel descenditur ad infimum. Quale est illud Ciceronis in Catilinam: *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam, planeque sentiam*. Magnum est enim, quidquid agat Catilina, scire Ciceronem: majus, quidquid moliatur: longe maximum, quidquid etiam cogitet. Lepidum est illud ejusdem Ciceronis ad Atticum. *Si dormis, expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola*. Ejusmodi est etiam ille Virgilii locus in Eclogis:

Torva leæna lupum sequitur; lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

Quid est Synonymia?

R. Est verborum idem ferme significantium coacervatio, ad rei magnitudinem demonstrandam, ut in Miloniana: *An vero vos soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestræ peregrinantur aures? neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur?* Hoc Schema Poetæ est valde usitatum. Ita Plautus:

Quicunque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt,
Stulti, stolidi, fatui, (a) fungi, (b) blenni, (c) buccones.
Solus ego omnes longe anteeo stultitia, & moribus indoctis.

Quid est Traductio?

R. Traductio, seu Polyptoton, ajunt Græci, est variata casibus, aut generibus, aut modis, aut temporibus, ejusdem vocabuli repetitio; ut cum ait Tullius pro Archia: *Pleni sunt omnes libri*,

(a) Subaudi: *Occidite*. (b) *Fungus*, Sciocco.
(c) *Blennus*, Pazzo.

libri, plena sapientium voces, plena exemplorum vetustas. Vel cum ait Ovidius:

Spectatum ornatæ veniunt, spectentur ut ipsæ.

Quid est Polysyntheton?

R. Polysyntheton, seu, ut alii malunt, Polysyndeton, est Schema conjunctionibus abundans, ut, *& justitia, & liberalitate, & fortitudine cæteros omnes Imperatores superavit*. Itemque apud Virgilium: (a)

Ascaniumque, patremque meum, juxtaque Creusam,
Alterum in alterius mactatum sanguine cernam.

§. II. De Figuris per Detractionem.

Quot sunt Figuræ, quæ fiunt per Detractionem?

R. Tres: Reticentia, Adjunctio, & Disjunctio.

Quid est Reticentia?

R. Est figura, quæ fit, quando verbum aliquod subauditur: ut cum ait Tullius in Verrinis: *Hunccine hominem? hanccine impudentiam? hanccine audaciam?* Supple *feremus*. Et apud Virgilium: (b)

At vero Rutulis impar ea pugna videri
Jamdudum, & vario misceri pectora motu:

Ubi profecto vides intelligi *cœpit*, & *cœperunt*. Itemque libro 1. *Sed vos qui tandem?* subauditur *estis*. Eodem pertinet illud Maffei: *Ex eo tempore tyro vanis agitari terroribus, dies, noctesque fletibus jungere, nullam capere partem quietis*; supple *cœpit*.

Quomodo fit Adjunctio?

R. Fit adjunctio, quando uni verbo plurima nomina substantiva respondent. Ita Cic. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia*. Sic etiam Virgilius Æneid. 3.

(a) Tro-

(a) *Lib.* 2. (b) *Æn.* 12.

(a) Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, (b) Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ;

Quomodo fit Disjunctio?

R. Disjunctio, seu dissolutio fit, quando conjunctiones, & particulæ tolluntur, ut incitatior feratur oratio; ita Tullius; *Hæc studia litterarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

§. III. De Figuris per similitudinem.

Q*Uot sunt Figuræ per similitudinem?*

R. Tres in primis numerantur, nempe Paronomasia, similiter cadens, & similiter desinens.

Quid est Paronomasia?

R. Paronomasia, seu annominatio, est Figura, qua voces pene similes, ac (c) colludentes usurpantur in sensu dissimili. Ut cum ait Tullius ad Atticum: *Consul ipse parvo animo, & pravo, facie magis, quam facetiis ridiculus.* Et alibi: *Ex aratore factus orator.* Ita Martialis, qui in hoc genere frequens est:

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit: hæc (d) chiragra est.

Sic etiam ludit Ausonius in illo celebri Epigrammate de Venere:

Orta

(a) *Helenus Priami filius, Rex idem, & Phœbi sacerdos.*
(b) *Apollo dictus Clarius ab urbe Claro. Apollinis oraculo nobilis.* (c) Ital. *Corrispondendosi.*
(d) *Quæ nimirum manus ipsi constringit, ne quid patrono largiatur.*

Orta (a) salo, suscepta solo, patre edita Cœlo,
Æneadum genitrix hic habito alma Venus.

Græcis quoque admodum usitata est Paronomasia, ut apud Herodotum Lib. I. Παθήματα, μαθήματα, *Quæ nocent docent*. Ejusdemque generis erat illud, quod Apollodorus pictor præclarus inscripserat operi suo:

Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Id est.
Facilius erit ridere, quam imitari.

Delectat in primis, & ferit hoc Schema, si parce ac in loco adhibeatur, & sententiarum gravitate sustentetur. Si vero frigidas allusiones, ut non raro fit, venetur orator, ineptus nimirum erit, & putidus.

Quid est Similiter cadens?

R. Est vocabulorum per eosdem casus, & per eadem tempora expressorum consensus quidam, & quasi concentus: ut cum ait Cicero: *Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* Ubi vides quatuor nomina in dativo plurali posita. Ejusdem generis sunt triti illi Imperatoris Hadriani versiculi, quos moriens (b) fecit:

Animula vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Quid est Similiter desinens?

R. Fit, cum orationis vel membra, vel articuli eodem modo terminantur; ut apud Quintilianum: *Ejusdem non est, & facere fortiter, & vivere turpiter*. Ita Cicero Pompejum laudans: *Bellum extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit*. (c).

§. IV.

a) *Venerem e maris spuma natam fabulantur Poetæ*.
b) *Apud Ælium Spartianum in vita Hadriani*.
c) *Pro Lege Manilia*.

§. IV. Appendix de Transitione.

Quid est Transitio?

R. Transitio, quam alii Figuram esse volunt, alii cum Fabio negant, est orationis quidam nexus, quo fit, ut apte copulata inter se illius membra concinne cohæreant; & unum quasi corpus efficiant.

Quot sunt Transitionis genera?

R. Duo. Transitio enim vel est perfecta, vel imperfecta. Transitio perfecta est, qua breviter monemus quid dictum sit, & quid dicendum restet: cujusmodi est ista pro lege Manilia: *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.*

Transitio imperfecta ea est, qua alterum tantum eorum exprimitur; ut in hoc Ciceronis pro Roscio: *Age nunc illa videamus, judices, quæ consecuta sunt.* Utriusque indiscriminatim generis selecta, ex Tullio præsertim, afferemus exempla; quoniam videmus in inveniendis hujusmodi Transitionibus solere Tyrones non mediocriter laborare.

Transitionum Ciceronianarum exempla selecta.

1. *Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum. Restat, ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum esse videatur.* 2. *Satis multa de periculo.* 3. *Uni epistolæ respondi: venio ad alteram....* 4. *Sed nimis multa de nugis: ad majora veniamus......* 5. *Verum ubi rerum testimonia adsunt, nihil opus est verbis.* 6. *Sed hæc vetera: illud recens, Cæsarem meo consilio interfectum.* 7. *Sed ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii, rem unam pulcherrimam transiliat oratio*

tio, ad (a) *Lupercalia veniamus*. *Non dissimulat, Patres conscripti, apparet esse commotum, sudat, pallet*. 8. *Sed arrogantiam hominis, insolentiamque cognoscite*. 9. *At etiam ausus es. Quid autem est, quod tu non audeas?* 10. *Sed jam satis multa de caussa: extra caussam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem, obtesterque vos Judices, ut misericordiam tribuatis fortissimo viro?* 11. *Quæstura illius demonstrata, reliqua attendite*. 12. *Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis caussa ducitur*. 13. *Atque ut facilius intelligere possitis Judices, quæ facta sunt, indigniora esse quam hæc sunt, quæ diximus; ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponam*. 14. *Sed hæc robustioris improbitatis scelera omittamus, loquamur potius de iniquissimo genere levitatis*. 15. *Id quo facilius facere possitis, dabo operam, ut a principio res quemadmodum gesta sit, cognoscatis*. 16. *Sed finis sit: neque enim pro lacrymis jam loqui possum, & hic se lacrymis defendi vetat*. 17. *Sed quoniam emersisse jam e vadis, & scopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur*, 18. *Accipite nunc aliud ejus facinus nobile, ut multis locis sæpe commemoratum, & ejusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur. Invenietis id facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum, & conclusum*. 19. *Plura de illo Archipirata dixi, quam volui, & tamen ea, quæ certissima sunt, hujus criminis argumenta prætermisi*. 20. *Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque meditemur*. 21. *Ad ejus Tribunatum, qui ad sese jamdudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam, contento studio, cursuque*

(a) Lupercalia Festa Solemnia in Panis honorem mense Februarii celebrari sol ta a Lupercis illius Sacerdotibus, qui nudi per urbem cursitabant. Luperci sic vocabantur, quod Pan Lupos arceret ab ovibus.

quæ veniamus. 22. Atque hæc oblectationis, illa necessitatis. 23. Hæc mihi fere in mentem veniebant, quæ dicenda putarem de natura Deorum. 24. Quibus rebus expositis, satis docuisse videor, homines natura quanto omnes anteirent animantes. 25. Longa est oratio, multaque rationes, quibus doceri potest. 26. Sed quid ego longinqua commemoro? 27. Intelligo quam scopuloso, difficilique loco verser. 28. Sed quid ego his argumentis utor, quasi res dubia, aut obscura sit? 29. Magna sunt hæc, vel potius maxima. Jam vero quanto majus videbitur? 30. Multa hujusmodi proferre possem: sed genus ipsum videtis. 31. Nolo in hac re multus videri. 32. Sed quid ego hæc aut tam levia, aut tam minima recordor? 33. Itaque fateamur necesse est, nihil difficilius esse. 34 Quid loquar, quanta ratio in bestiis appareat? 35. Jam vero ista etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiæ. 36. Multa prætereunda sunt, & tamen multa dicuntur. 37. Vereor ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. 38. Sinite me illa minora, ac quotidiana prætermittere. 39. Illud tamen, quamquam ad exitum festinet oratio, prætermittere nullo modo possum. 40. Verum hæc missa facio; illud quæro. 41. (a) De exordio satis dictum est: deinceps ad narrationem transeamus. 42. Quod ad definitiones, hactenus; reliqua videamus. 43. Nunc reliquorum Oratorum ætates persequamur. 44. Tempus est ad cæteras partes orationis proficisci. Deinceps igitur de dispositione dicemus. 45. De (b) statutis diebus dixi: nunc de Annalibus dicam. 46. Hæc de hero: quod sequitur, de pecore. 47. De multitudine quondam quod satis est, admonui, de obscuritate pauca dicam. 48 Sed (c) ut omisso principio; rem ipsam aggrediamur. 49. (d) Hactenus de Prin-

(a) Ex Cicerone ad Herennium, vel potius ex Cornificio. (b) Ex Varrone. (c) Ex Seneca. (d) Svetonius de Caligula.

principis: quod sequitur, de monstro: 50. (a) *Jam quantum illud est, quod in occupationibus summi numquam intermittis studia doctrinæ?* 51. *Utinam vero mihi satis esset ad dicendum vel facultatis, vel temporis.* 52. *Hic hic, Auditores, animos ad insignis facti memoriam sempiternam erigite.* 53. *Sed hæc utcumque ferenda: hoc vero quis ferat?* 54. *Audistis gravissima: audite nunc graviora.* 55. *Sed hæc privatim: nunc quæ publice gesta sunt, videamus.* 56. *Verum hæc missa facio: illud quam...* 57. *Nihil jam dico de isto scelere.* 58. *Postularet hic locus ut dicerem de...*

Variis hisce, quas attuli, Transitionibus addito breviores hasce formulas, particulasque connectentes.

His adde; Accedit his; Huc accedit quod; Huc pertinet; Eodem pertinet; Jam vero quid dicam? Age vero explicemus nunc; His simillimum est; Postularet hic locus ut dicerem; Restat ut dicam; Nunc vero superest; Ex quo debet intelligi; Quid quod ausus est etiam? Omitto domesticas tuas sordes; Nam illud quid attinet commemorare? Ita est quemdamodum dixi.

CAPUT VI.

De Periodo.

QUid *est Periodus*?

R. Periodus est sententia brevis & absoluta, quæ certis partibus, sive membris a se invicem pendentibus, & quodam veluti vinculo connexis numerose comprehenditur. Nomen traxit a voce Græca, περίοδος, quæ significat ambitum atque circuitum.

F *Quid*

(a) Ex aliis.

Quid sibi vult celebris illa Aristotelis definitio lib. 3 Rhetoricæ, ubi ait, (a) Periodum esse orationem, quæ habeat principium, & finem, & magnitudinem, quæ uno quasi aspectu perlustrari facile possit?

R. Hanc Definitionem in nostram perbelle quadrare: Principium enim illud, de quo loquitur Aristoteles, nihil aliud est, nisi primum Periodi membrum, quod ita suspensum ferri debet, ut aliud quidpiam subsequi omnino debeat; unde etiam vocatur principium. Medium vero ac finis sunt reliqua periodi membra, quæ brevi quodam contractoque verborum ambitu debent illam circumscribere. Unde vere dicitur, illam uno conspectu facile cerni debere, unoque spiritu pronuntiari.

§. I. De partibus Periodi.

Quanam sunt Periodi partes?

R. Periodus constat certis quibusdam partibus, quarum majores appellantur *Membra*, (b) Græce *Cola*; minores vero appellantur *Incisa*, Græce *Commata*.

Quid est membrum Periodi?

R. Membrum, sive Colon est pars Periodi continens sensum aliquem, sed suspensum ac imperfectum; v. gr. (c) *Antequam de republica, Patres conscripti, dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror*: ecce tibi Periodi membrum, neque enim hic sensus orationis conquiescit. Habebis Periodum absolutam, si ad primum illud membrum accedet hoc alterum: *Exponam vobis breviter consilium & profectionis & reversionis meæ.*

Quid est Incisum?

R. Incisum, sive Comma est pars membris: quem

(a) Λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν, καθ᾽ αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον.
(b) Κῶλα, κόμματα (c) Philip. 1.

quemadmodum enim in Periodo membrum, sic in membro continetur incisum: v. gr. (a) *Nihil est, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius*; ex tribus hisce incisis membrum unum efficitur. Itaque dicere incisum est crebris id genus incisis, & articulis suam orationem distinguere.

Quandonam potissimum usurpanda sunt crebra illa Incisa?

R. Incisa mirum in modum valere, cum adversario vehementius & acrius instat orator. Ita Cicero per Incisa Pisonem increpat, illumque (b) cæsim, ac punctim, ut ita loquar, objurgat & ferit: *Non enim nos color iste servilis, non pilosa gena, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit. Pauci tua ista lutulenta vitia noveramus; pauci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ.*

§. II. De variis Periodorum generibus.

Quot sunt genera Periodorum?

R. Tria. Alia est Periodus bimembris, sive dicolos; alia trimembris, sive tricolos; alia quadrimembris, sive tetracolos. Plura enim, vel pauciora membra, aut vix, aut nullo modo patitur germana sinceraque Periodus. Singula porro hæc membra si vel paria sint, vel non valde disparia, multo gratior & venustior erit oratio.

Periodus bimembris.

Ergo & mihi mea pristina vita consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti (c), *& his* omni-

(a) Cic. (b) Ital. *Di punta, e di taglio.*
(c) Cic. *pro Marcello.*

omnibus ad bene de republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.

Trimembris exemplum eximium esse potest illa Ciceronis Periodus, numeris, ut mihi videtur, omnibus absoluta, in exordio Manilianæ:

Nam cum antea per ætatem hujus auctoritatem loci contingere non auderem: Statueremque nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere: Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.

Periodi quadrimembris, quæ & quadrata dici solet, absolutissimum exemplum habes in orat. pro A. Cæcina: *Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest,* * *tantum in foro, atque judiciis impudentia valeret,* * *non minus in caussa cederet A. Cæcina Sex. Æbutii impudentiæ,* * *quam tum in vi facienda cessit audaciæ.*

§. III. De legibus ac regulis Periodi.

QUanam *sunt Periodi leges?*

R. Tres præcipuæ. Prima est, ut illius membra nexibus quibusdam inter se quam aptissime cohæreant: alioqui enim jam non esset Periodus, sed oratio dissipata dissolutaque, & ut ajunt, *Arena sine calce*. 2. Regula hæc est, ut sensus non sit nisi in omnium membrorum fine perfectus. 3. Ut pleniore verborum ambitu & circulo Periodus concludatur.

Possetne fieri Periodus, quæ contineret membra vel minus quam duo, vel plura quam quatuor?

R. Posse fieri Periodum unius membri: atque hæc est illa, quæ vocatur ab Aristotele Periodus * *simplex*, sive (a) *monocolos*: Posset etiam omnino usque ad quinque, aut sex, vel plura etiam membra produci. Verum perfecta, de qua hic tantum sermo est, Periodus, nec ultra quatuor membra procurrit, nec infra duo contrahitur. Atque

(a) Ἀφελής, μονόκωλος.

Atque hæc est unanimis sententia Demetrii Phalerei, (a) Hermogenis, ac Terentiani quoque Mauri, cum ait:

Quatuor e membris plenum formare videbis
Rhetora circuitum, sive ambitus ille vocetur.

Atque in primis nobiscum ita sentit ipse Tullius, eum ait in Oratore: *Constat ille ambitus, & plena comprehensio e quatuor fere partibus, quæ membra dicuntur, ut & aures impleat, & ne brevior sit, quam satis sit, nec longior.* Quod si, ut aliquando contingit, ultra quatuor procedatur, ac nihilo tamen minus orbe quodam, circuituque conclusa feratur oratio, vocabitur *Ambitus*, sive *Oratio periodica*. Ita Cicero pro (b) Archia Poeta:

Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis & disciplina profecta, a qua ego confiteor nullum ætatis meæ tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic (c) A. Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet.

§. IV. De artificio Periodi amplificandæ.

QUanam est prima ratio amplificandæ Periodi? R. Tyrones nullo negotio Periodos fundent, si habeant ad manum, & in promptu particulas vel locutiones quasdam conficiendis Periodis mirum in modum idoneas; cujusmodi sunt voces illæ

(a) *Hermogenes Tarsensis anno ætatis 15. Rhetor nobilissimus, rerum omnium obliviscitur ante annum 24. & in extrema inscitia consenescit.*

(b) *Archia Poeta Antiochenus, Ciceronis olim præceptor, ob ingenium & eloquentiam civitate donatus a Romanis.* (c) *Aulus.*

illæ omnes, quæ necessariam quamdam habent cum aliis subsequentibus affinitatem, v. gr. *Etsi, quamvis, quamquam, quemadmodum, sicut, cum, quoties, quantum, qualis, quo, non minus*: quibus respondent, *tamen, verumtamen, nihilominus, ita, tum, toties, tantum, talis, eo, quam*.

2. In quavis enim Periodo partes duæ sunt, Protasis nimirum & Apodosis. Est autem Protasis prima Periodi pars, ex qua secunda pendet, & in qua oratio crescit quodammodo & attollitur. Apodosis vero est altera periodi pars, in qua oratio perfecta conquiescit. Illæ porro, de quibus loquimur, particulæ, suspensæque locutiones mirum in modum idoneæ sunt ad Protasim cum Apodosi connectendam, ut videre est in allatis exemplis, illo præsertim pro Cæcina supra §. II.

Quænam est secunda & tertia ratio amplificandæ Periodi?

R. Periodus pulcherrime dilatatur, cum brevis quædam sententia in suas quasi partes distribuitur. Ita Tullius paucula hæc verba (*Omnes lugent Clodium*) amplificat per enumerationem partium, cum ait, ironice nimirum, Clodium defleri a Senatu, ab Equestri ordine, a (a) Municipiis, a (b) Coloniis, ab Agris denique ipsis.

3. Facile dilatatur Periodus per definitiones, quas vocant conglobatas, per circumlocutionem & per interpretationem, quæ fit cum res eadem aliis atque aliis elegantioribus verbis exprimitur. Vide quæ supra in Elementis diximus de Amplificatione.

§. V.

(a) *Municipia erant civitates, quæ muneribus & honoribus populi Romani fungebantur.*

(b) *Colonia oppida, quæ populus ex urbe Roma deducebatur ad incolendum, Coloniæ fiebant etiam privilegio, sine soli mutatione.*

§. V. De numero & ceteris virtutibus Periodi.

QUid est numerus Periodicus?

R. Numerus Periodi, de quo hic agitur, non est numerus arithmeticus; sed est numerus ille in harmonia & concentu positus, de quo Virgilius in Ecloga 4.

Numero memini, si verba tenerem.

Et rursum in Ecloga 6.

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere.....

Numerus autem Oratorius est harmonia quædam non exquisita, neque canora, qualis est in poematibus & canticis; sed ita dissimulata latensque, ut tamen sentiatur, & aures mirifica quadam voluptate permulceat.

Atque ut exemplo res illustretur, suavis admodum est auribusque pergratus verborum numerus in hac Tullii sententia pro Marcello: *Nulla est tanta vix, tantaque copia, qua non ferro ac viribus debilitari frangique possit*. Peribit funditus omnis venustas, si inverso numero dicas: *Nulla est vis tanta, & copia tanta, qua non possit debilitari frangique viribus ac ferro*. Quid item suavius hac altera Ciceronis sententia in Philippica 2. *Te miror, Antoni, quorum facta imitare, eorum exitus non perhorrescere?* Quæ quidem verba tam apte mihi videntur constructa, ut præclari cujusdam numeri absolutissimum exemplar esse possint. Abibit vero decor omnis, si sublato tam eleganti numero, dixeris: *Te miror, Antoni, non perhorrescere exitus eorum, quorum imiteris facta?* Tanti nimirum est certa quadam moderatione numerorum explere sententias: ideoque ut opti-

me notat Quintilianus: *Neque Demosthenes fulmina vibrasse diceretur, nisi numeris vibrata fuissent.*

§. VI. Regulæ sex, quibus reddi potest numerosa Periodus.

QUæ de varia collocatione pedum ac mensurarum, & de optima ratione miscendi inter sese Dactylos, Spondæos, Anapæstos, Jambos, Creticos, Molossos, Choræos & Dichoræos tradunt Aristoteles, Tullius, Quintilianus, cæterique artis magistri, sunt egregia illa quidem, & Oratori perfecto numquam satis commendanda. Veruntamen, ut aperte & ingenue loquar, animadverti jamdudum difficilioribus hisce & salebrosis, ut ita dicam, præceptionibus valde defatigari tyronum animos & illorum industriam retardari solere potius, quam adjuvari.

Quapropter, ut animorum satietati fastidioque occurratur, operæ pretium me facturum existimavi, si ex laboriosis illis præceptionibus quemdam quasi succum exprimerem, & faciliores aliquot, brevesque regulas ad omnium captum, & quotidianum usum accommodatas hoc loco proponerem.

Quænam est Prima regula Periodi numerosæ reddendæ?

R. Numerosa fiet Periodus, si syllabæ breves ac longæ sic temperentur alternenturque quodammodo, ut neque copia brevium incitatior ac celerior feratur oratio, neque longarum multitudine retardata languescat. Concinnam hanc brevium & longarum syllabarum temperationem vides in illis Tullii verbis ad Cæsarem: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, &c.*

Aliquando tamen, ex arte & industria, syllabæ breves, vel longæ, sine illa, quam dixi; mix-

mixtura coacervantur, ad rei, de qua agitur, vel celeritatem, vel tarditatem exprimendam, & oculis quodammodo subjiciendam. Ita Virgilius Æneid. 5. remigantium nautarum impetum, naviumque velocitatem, Dactylorum crebritate depingit:

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora prosiluere suis: ferit æthera clamor
Nauticus....

Itemque celeritatem equorum in hoc versu etiam pueris noto:

—— It clamor, & agmine facto,
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum (a).

Tarditatem contra egregia imitatur hic versus lib. 1.

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.

Quanam est secunda regula numerosam efficiendi Periodum?

R. Voces unius, duarum, aut plurium syllabarum si commisceantur, nascetur inde oratio valde numerosa: v.g. *Vivis, & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.* Contra vero crebriore monosyllabarum iteratione quasi exilit atque subsultat oratio: v. gr. *Hac in re nos hic non ferret.*

Quanam est tertia regula?

R. Cadet numerose Periodus, si magnificis & bene sonantibus verbis terminetur; ut in hisce exemplis ex Cicerone desumptis; *Quos amisimus cives, eos non Martis vis perculit, sed ira victoriæ. Nam qui locus quietis ac tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxima moles molestiarum, & turbulentissimæ tempestates extiterunt.*

(a) *Æneid.* 8.

Quænam est quarta regula?

R. Nulla res magis facit ad numerum oratorium, quam verborum splendor, non solum in periodi clausula, sed etiam in toto illius quasi contextu. Ita Tullius in Pisonem. *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colorem.* Et in eloquentissima illa peroratione pro Fontejo: *Nolite pati, judices, aras* (a) *Deorum immortalium, Vestæque Matris, quotidianis Virginis lamentationibus, de vestro judicio commoveri.* Et in 4. Catil. *Id est initum consilium, ut interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem populi R. nomen, & ad lamentandum tanti imperii calamitatem relinquatur.*

Cedo quintam regulam.

R. Ut leniter, æquabiliterque fluat Periodus, fugiendus est asperior litterarum & vocabulorum concursus, quod est in oratione vitium vel maximum. Incurritur autem in illud vitium multis modis.

1. Cum durius ac crebrius concurrunt inter se consonantes, quæ stridorem efficiunt, ut *Ars studiorum..... Rex Xerxes.*

2. Cum verbi prioris ultimæ syllabæ fiunt primæ sequentis, ut vel ipsi Ciceroni aliquando excidit, cum ait: *Res mihi invisæ visæ sunt.* Itemque cum dixit in Carmine.

O fortunatam natam me Consule Romam!

3. Cum eadem littera, vel etiam, quod pejus est, eadem syllaba crebrius iteratur: quale est illud Ennii Poetæ:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu:

Itemque illud adeo tritum:

O Tite tute (b) Tati tibi tanta tyranne tulisti!

4. Cum

(a) *Fonteji soror una ex Virginibus Vestalibus, quæ sempiternum Vestæ ignem custodiebant.*
(b) *Tati* est vocativus a *Tatius, ii.*

4. Cum similiter cadentibus ac desinentibus frequenter utimur, ut *Amatrices*, *adjutrices*, *præstigiatrices fuerunt*.

Tria tamen sunt, quæ Tyrones etiam atque etiam cavere debent. Primum, ne, dum numerose loqui volunt, inferciant, ut persæpe fit, inania quædam complementa & (a) ramenta numerorum, quasi si rimas explere vellent. Alterum est, ne, dum oratorium numerum quærunt, incidant in metricum, & periodi finis sit finis alicujus versus, præsertim Heroici, vel elegiaci: quod non semel Ciceroni ipsi excidisse Hieronymus Lagomarsinus e Soc. Jesu in opusculo, quod sic inscribitur: *Risposta di Golmario Pepugies Marsiliano*; allatis locis ipsis præclare docet n. 19. p. 45.

Tertium est, ne, dum numero serviunt diligentius, & aurium voluptati morigerantur, omnis interea retardetur impetus, visque orationis, & animus ab iis, quæ potiora sunt, penitus avertatur. Quapropter hæc aliaque hujusmodi in numero vitia, non ut ingens crimen expavescenda sunt; ac nescio hac in re negligentia ne, an nimia solicitudo sit pejor.

Quænam est ultima numerosa Periodi regula?

R. Caput illud est, non in periodo solum, sed etiam in omni oratione, ut Latina constructio quam maxime distet a vernacula; hoc est, ut verba per inversam, quam vocant, constructionem ita trajiciantur, ut quod reipsa prius est, fiat artificiosa quadam verborum collocatione posterius.

Et quoniam trajecta illa constructio ita est propria Latinæ Linguæ, ut omnis illius vis atque elegantia, ac quasi natura & indoles in eo potissimum sita esse videatur, visum est aliquot illustria illius exempla hoc loco ad imitandum proponere.

F 6 Exem-

(a) Italice; *Riempiture*, *rasure*, *ritagli*, *zeppe*.

Exempla selecta constructionis trajectæ.

1. *Quos amisimus cives, eos Martis vis pertulit, non ira victoria.* Cic.

2. *Habet magnum dolorem, unde cum honore discesseris, eodem cum ignominia reverti.* Cic.

3. *Frater tuus quanti me faciat, semperque fecerit, esse hominem qui ignoret arbitror neminem.* Cic.

4. *Quod cuique temporis datum est ad vivendum, eo bene utatur.*

5. *Mea lenitas si cui solutior visa est; hoc expectabat, ut id, quod latebat, erumperet.* Cic.

6 *Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.*

7. *Fac quaso, qui ego sum, esse te.*

8. *Quæ res in civitate duæ plurimum possunt; hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia.* Cic.

9. *Fere quem quisque locum pugnando ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat.* Sallust.

10. *Id sibi negotii credidit solum duci, populo ut placerent quas fecisset fabulas.* Terent.

11. *Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.* Terent.

12. *Quam rem vitio dent, quæso, animum advertite.*

§. VII. Quomodo parari possit facultas numerose dicendi.

QUæ de Periodis numerisque, post Aristotelem, Ciceronem & Fabium, accurate præcepimus hactenus, non eo dicta sunt a nobis, quo tyro in dinumerandis pedibus syllabisque dimetiendis consenescat: quod sane nec magni, nec felicis foret ingenii. Verum hæc apte numeroseque dicendi facultas non est profecto tanti laboris, quanti prima fronte videtur esse. Nihil est enim tam flexibile, & quod tam facile sequatur quocumque ducas, quam oratio; atque ut mollissi-

mam

mam ceram ad nostrum arbitrium formamus ac fingimus, sic plane dictionis genus ad omnem rationem & ad aurium voluptatem motumque animorum facile mutatur ac vertitur.

Qua ratione viaque numerose scribendi facultas parabitur?

R. Duplici potissimum: Si Tyro numerosas aliquot & volubiles Tullii sententias non legere modo, sed clara etiam voce pronunciare assuescat e cujusmodi sunt illæ, quas supra attulimus, vel illæ, quas affert Quintilianus: *Omnes prope civitates virtute, gloria, dignitate superabat*. Itemque ista: *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit*; qui numerus ita placuit populo, inquit idem Tullius, ut hac audita periodi clausula, clamorem ingentem sustulerit.

2. Parabitur numerose dicendi facultas, si numerum illum & quasi concentum imitatione ac stylo coneris exprimere; quod quidem exercitatione atque usu, qui est optimus dicendi magister, non ita difficulter consequeris. *Ut enim qui in sole ambulat, sensim coloratur*, inquit Tullius: *ita cum istos libros lego, sentio orationem meam illorum quasi cantu colorari*. Nunc ad majora veniamus.

CAPUT VII.

De Stylo oratorio.

OMnem hanc de Stylo doctrinam hausimus in primis ex aureolo illo libello Demetrii (a), cui vulgo Phalerei cognomen tribuitur, & ex

(a) *Demetrius Phalereus facundia nobilis, annos decem præfuit Athenis, & statuis 360. æreis fuit honoratus; postea vero ejectus, fugit in Ægyptum ad Ptolemæum Lagum*.

& ex egregia Longini (a) commentatione de Stylo magnifico: Quod utrumque opusculum Tyrones, si me audiant, nocturna, ut cum Horatio loquar, diurnaque manu versabunt. Verum quæ illi præcepta, quamvis egregia, confuse tamen ac permixte tradunt, ea nos faciliori ac commodiori ordine digesta sic disposuimus, ut ad omnium captum & communem intelligentiam sint accommodata.

Quid est Stylus?

R. Stylus, si primam vocis vim & originem spectes, est acus, seu instrumentum, quo in ceratis tabulis scribebatur antiquitus. Hinc factum est, ut Stylus pro ipsa scriptione, seu dictione & sermonis conformatione usurparetur.

Quot sunt Stylorum genera?

R. Stylus, seu orationis Character, triplex est: 1. Magnificus, sive sublimis: 2. Humilis, sive tenuis, qui etiam infimus dicitur: 3. Mediocris, sive æquabilis.

§. I. De Stylo sublimi.

QUid est Stylus sublimis?

R. Stylus sublimis ille est, qui constat verbis splendidis, magnificisque sententiis, quique sua nobilitate rapit quodammodo extra se audientium animos, & admirationem extorquet etiam ab invitis: quale est illud morientis Didonis (b):

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos.

Id genus sunt etiam verba illa ejusdem Didonis in Æneam (c):

Nec

(a) *Longinus Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ magister & Consiliarius, ab Imperatore Aureliano necatus, quod audaces Zenobiæ ad ipsum Aurelianum litteras scripsisset.*

(b) *Lib.* 4. (c) *Dido Æneæ.*

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Vel, ut ait Ovidius in eamdem sententiam:

Te lapis & montes, innataque rupibus altis
Robora; te sævæ progenuere feræ.

Laudatur plurimum in hoc genere celebris illa Alexandri magni responsio, cum suam illi filiam, cum decem talentorum millibus, & Asiæ media parte, Persarum Rex Darius obtulisset. *Ego vero*, inquit (a) Parmenio, *acciperem, si Alexander essem*. *Et ego*, inquit Alexander, *si Parmenio essem*.

Tale illud ejusdem Alexandri ad Darii legatos: *Nunciante Dario, gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse: me, quæ fecerim clementer & liberaliter, non amicitiæ ejus tribuisse, sed natura mea. Bellum cum captivis, & fœminis gerere non soleo. Armatus sit oportet quem oderim.*

Eodem pertinent egregia illa ejusdem Alexandri verba ad suos milites: *Nondum* (b) *Fœminam æquavimus gloria, & jam nos laudis satietas tenet.*

Magnificæ locutionis exempla passim apud Tullium reperies; ut cum ait: *Fasces lictorios januæ Possidonii submisit Pompejus, cui se Oriens, Occidensque submiserat*. Habes etiam in paucis hisce Ovidii verbis, aliisque similibus non paucis:

Jam seges est, ubi Troja fuit .....

§. II.

(a) *Parmenio unus e fortissimis Alexandri Ducibus, & amicis, postea ab illo occisus.*

(b) *Semiramis Nini Assyriorum regis uxor Ægyptum, Æthiopiam, Indiam, &c. subegit.*

§. II. De Arte comparandi Styli sublimis.

Q*Uonam pacto conciliari poterit?*

R. Duobus potissimum modis. 1. Si nobilissima quæque rei, de qua loqueris, adjuncta, seu circumstantias consideres, illamque inspicias, qua parte illustrior est atque speciosior, cetera vero sileas, atque dissimules: ut olim Apelles, teste Plinio, imaginem amici sui Antigoni latere tantum altero (a) ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret. Sic etiam Homerus tempestatem admodum magnifice pingit, illustrissima illius adjuncta mira quadam arte seligendo. Eadem arte Neptunum curru invectum, perambulantem maria, soloque nutu fluctus iratos pacantem, describit Virgilius Æneid. 1.

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit:
. . . .
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.

2. Metaphoræ, præsertim ex rebus illustribus desumptæ, mirum in modum faciunt ad styli granditatem atque magnificentiam; ut cum Virgilius (b) ait de Augusto Cæsare:

—— Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello.

Et cum ait Cicero pro Marcello; *Nullius est tantum flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ, non dicam exornare, sed enarrare, Cæsar, res tuas gestas possit.* Aut cum ait Horatius: *Curas laqueata circum tecta volantes.*

3. Styli magnificentiam facile consequeris, si legas assidue auctores eos, qui grandiloqui, ut ita dicam, fuere, cum ampla sententiarum gra

(a) Ital. *In profilo.* (b) *Geor.* 4.

gravitate ; & majestate verborum ; cujusmodi sunt Cicero Catilinaria secunda, secunda Philippica, in Verrem, in Pisonem, pro Milone, præcipue sub finem: Virgilius, præsertim Æneid. lib. 2. 4. & 6. Lucanus, Cornelius in Gallicis Tragœdiis, &c.

§. III. De Stylo simplici.

QUid est Stylus simplex?

R. Stylus simplex, qui etiam nuncupatur tenuis, & infimus, ille est, qui in rebus tenujoribus & exilibus, cujusmodi sunt epistolæ, dialogi, præceptiones, & sermo familiaris, solet usurpari.

Quanam sunt dotes Styli simplicis?

R. Præcipuæ illius dotes sunt perspicuitas; nitor atque munditia. Verecundus ac parcus in illo debet esse troporum ac Schematum usus: vehementiores vero figuras, cujusmodi sunt Apostrophe, Prosopopœja, aliæque id genus, omnino repudiat. Selectissima Styli simplicis exempla passim invenies in Phædri fabellis, & in Virgilii bucolicis, ut cum ait Ecloga 1.

Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus.
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram, sic parvis componere magna solebam.

§. IV De Stylo mediocri.

QUid est Stylus mediocris?

R. Hic est, qui medium quemdam locum obtinet sublimem inter & infimum. Hoc dicendi genus neque majestatem verborum habet, aut gravitatem illam sententiarum, quæ in sublimi est; neque est subtili, ac pressa oratione

li-

Torva (a) Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
(b) Evion ingeminat: reparabilis adsonat echo.

Quid est Stylus frigidus?

R. Stylus frigidus, ac puerilis (sunt enim valde affinia hæc duo vitia) ille est, qui puerilia quædam ornamenta, frigidos lepores, ineptas allusiones, affectatas ac luxuriantes descriptiones, frivolaque hujusmodi crepundia putidius aucupatur; cujusmodi sunt istæ sententiæ, quæ merito repudiantur a magistris artis: *Centaurus se ipsum equitans...... Auro magis aurea, &c.*

Potest autem vitium illud esse vel in verbis, vel in sententiis. Erit in verbis, si sint vel molliora, quale est illud Mœcenatis: (c) *Femina cirro crispat, & labris columbatur, incipitque suspirans, ut cervice laxa feratur*: vel si sint indecore translata, qualia sunt ista, quæ damnat (d) Cornificius: *Montes belli fabricatus est, Campos sustulit pacis*; vel si juncta fuerint more dithyramborum, ut in illo Publii (e) Syri de ciconia:

Pietatis cultrix, gracilipes, (f) crotalistria;
Avis exul hiemis.

Erit vitium in sententiis, si nimis tumidæ sint & hyperbolicæ, qualis est ista lippis ac tonsoribus nota, quam referunt Plutarchus, & Cassius; *Minime mirandum est, si Dianæ Ephesiæ templum*

(a) *Bacchæ mulieres dicebantur Mimallonæ, vel Bassarides, vel Mænades, hoc est*, Insanæ.
(b) *Evoe, evion, Bacchantium furentium voces*;
(c) *Femen, inis*, coscia.
(d) *Auctor libri ad Herennium*.
(e) *Publius Syrus mimorum scriptor elegantissimus, vixit ante Virgilium tempore Julii Cæsaris.*
(f) *Quasi Crotalum voce imitans. Crotalus autem est Italis* Naccara.

plum conflagraverit, qua nocte natus est Alexander. Quippe Dea in ipso Olympia matris Alexandri partu, obstetricandi laboribus, & curis districta, ignem non valuit restinguere.

Sic etiam nimis frigide ac pueriliter dictum fuit a Plauto, de sene avaro, in Aulularia:

Suam rem perjisse, seque eradicarier:
Quin Divum atque hominum clamat continuo fidem,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quid est Stylus fluctuans, ac dissolutus?

R. Ille est, qui sine articulis, sine numero, sine arte fluctuat huc illuc, neque sibi ullo pacto cohæret; quod sane vitium Tyronibus est valde familiare. Hujusmodi autem affert Cornificius: *Socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam quod possent facere, siquidem sua sponte facerent, & non haberent hic adjutores multos, & malos homines, & audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt gerere.*

Quid est stylus siccus, & exanguis, sive aridus?

R. Ille est, qui nihil ferme habet neque ornamenti, neque succi. Hoc styli genus vulgo (a) Frontoni tribuitur.

§. VII. De Stylo Laconico & Asiatico.

Quid est Stylus Laconicus?

R. Est Stylus argutus, perbrevis & acutus, quo multa paucis dicuntur. Nomen porro traxit a Laconibus, qui etiam Spartani dicebantur, ac Lacedæmonii, quibus Stylus ille erat in deliciis, & quibus prolixa loquacitate nihil erat odiosius.

Pro-

(a) *Fronto Marci Aurelii magister, qui illi statuam a Senatu decerni curavit.*

Profer selecta aliquot exempla Styli Laconici.

R. 1. Hosti aliquando per atroces ac longiores litteras ferrum flammamque minitanti, hac una syllaba Græca responderunt Spartani; εἰ, *si*; hoc est, *Si potest, si per nos tibi licet*.

2. Philippo Regi Macedonum injustum nescio quid flagitanti responderunt hac unica littera: οὐ, *non*.

3. Ejusdem generis est responsum Clementis Spartanorum Ducis ad Samios: *Eorum quæ dixisti, prima non memini; media non intelligo; ultima non probo*.

His adde Laconicam illam epistolam Archidami ad Eleos bellum parantes: *Archidamus Eleis; Bonum est quiescere*.

Itemque illam (a) Philostrati litteram ad amicum: *Mitto ad te ficus hibernas. Mirare in illis vel quod jam sunt, vel quod adhuc sunt*.

Laconicam illam brevi loquentiam mirifice expressit Cæsar in laureatis suis ad Senatum litteris, victo Pharnace Ponti rege, Mithridatis filio; VENI, VIDI, VICI.

Porro brevitas illa loquendi imperiosum quiddam habet, ideoque aptissima est minantibus, mirificeque prodest ad animos perterrefaciendos. Nam ut in tenebris magis timentur omnia, quam in luce: sic illæ orationis quasi tenebræ terribiliora reddunt ea, quæ proponuntur, inquit Muretus in variis lectionibus. Idque, ut opinor, secuti sunt Lacedæmonii, cum ad Philippum, interposita nescio qua offensione, bellum minaciter intentantem ita scripserunt: *Lacedæmonii Philippo: Dionysius Corinthi*. Multo enim fortior, &c, ut Lucretii verbo utar, penetralior illa brevitas fuit, quam si ita dixissent: Memento Dionysium Tyrannum, tui prorsus similem, regno fuisse pulsum ob ambitionem ac turbulen-

(a) *Philostratus Philosophus, qui Apollonii Thyanæi vitam Græce scripsit, sed elegantius quam verius*.

lentum ingenium, & nunc privatam vitam ager Corinthi. Video ne tibi quoque contingat idem, dum aliorum libertatem ſtudes opprimere.

Neque diſſimile illud Demetrii ad Locrenſes: *Faxo, cicadæ apud vos humi canant*; cum ſignificare vellet totam illorum regionem a ſe devaſtatum iri.

Quid eſt Stylus Aſiaticus?

R. Ille eſt, qui fuſiori quodam orationis ambitu circumſcribitur, multiſque verbis pauca dicit. Aſiatici nomen traxit ab Aſiæ populis, qui diffuſiorem illum Stylum habebant in deliciis. Illius exemplum quotidie vides in verboſis illis hominibus, qui tam multis tam pauca dicunt, Hunc porro Stylum Aſiaticum tu fugies, ſi ſapis. Quid enim tam inſulſum eſt, quam verborum vel optimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia?

De ratione Styli comparandi.

Stylus, qui aliud nihil eſt, quam certa quædam ſcribendi ratio cujuſque propria, ex duabus maxime rebus coaleſcit: 1. Ex ſententia: 2. Ex ſententiæ conformatione, ſeu, quod idem eſt, ex verbis, quibus ornatur & quodammodo veſtitur ſententia.

De ſententia id generatim & univerſe dici poteſt, in ea ſpectandum eſſe primum, ut ſit vera; deinde ut ſit perſpicua; poſtremo ut ſit argumento idonea, & ad rem, de qua agitur, accommodata. In conformatione vero ſententiæ, qua una maxime Stylus continetur, quatuor ſunt obſervanda: 1. Verborum proprietas: 2. Eorumdem elegantia: 3. Nexus: 4. Collocatio.

Quomodo cognoſci & comparari poterit verborum proprietas, & elegantia?

Ad verborum proprietatem & elegantiam penitus cognoſcendam, adjumenti multum afferent,

rent, 1. Aureus (a) Hadriani Cardinalis Liber; *De sermone Latino, & modis latine loquendi.* 2. Apparatus latinæ locut. Bart. Riccij Lugien., 3. Alius a Manutio scriptus, quem *Elegantiæ latinæ locutionis* appellat. 4. Liber a Laurentio Valla elaboratus. *De latini sermonis elegantia.* 5. *Delectus Latinitatis* Mureti, & *Flos Latinitatis* Pomei. 6. Non omittendus Liber ab Henrico Stephano editus, *De latinitate falso suspecta*: nec opus posthumum Vavassoris, *De vi & usu quorumdam verborum.*

Præcipue vero & supra cetera omnia adhibendus erit laudatissimus Nizolii Apparatus in Ciceronem, cum Francisci Sylvii Progymnasmatis ad illius calcem editis.

Sunt autem Sylvii Progymnasmata trecentæ observationes eximiæ, de incorrupta Latini sermonis integritate, quas ego Tyronibus pernecessarias semper existimavi.

Quo pacto intelligi poterit & edisci verborum nexus, & apta eorumdem collocatio?

R. Verborum nexus, & Ciceroniana collocatio continetur particulis quibusdam, seu commissuris, quæ vim habent hujusmodi, ut nihil sit abruptum in Stylo, nihil hians, & absonum, nihil dissolutum & fluctuans, hoc est, quod sine nervis, articulisque fluctuet huc illuc: sed ut omnes sententiæ, singulæque earum partes certo inter se modo numeroque cohæreant.

Valde profuerit in eam rem legere aureum Horatii Tursellini libellum, *De Particulis Latinæ locutionis.* Habebit etiam utilitatem aliquam *Flos latinitatis* in tertia parte, quæ est *de Particulis*; sed Tursellino longe multumque inferior.

Denique ad verborum collocationem Ciceronianam facilius noscendam, consulenda erunt Sylvii Progymnasmata, de quibus supra dictum. Vide etiam quæ paulo ante diximus de regulis, quibus reddi poterit numerosa periodus.

Qui-

(a) *Hadrianus Cardinalis floruit initio Sæc.* 16.

Quibus rebus comparari facile poterit Stylus optimus?

R. Duabus maxime rebus: primo, diligenti bonorum librorum lectione: 2. assidua eorumdem imitatione. Diximus in Elementis de Imitatione: nunc vero superest, ut de Lectione & de Librorum delectu videamus.

De Scriptorum Latinorum delectu.

Quæcumque diximus hactenus, & posthac dicturi sumus, vel nullam, vel perexiguam habebunt utilitatem, nisi exquisitissimum quemdam delectum in Latinis auctoribus legendis, & imitandis adhibeamus.

Sunt autem Scriptorum Latinorum ætates quatuor, nempe uti hominum apud Poetas. Sed Poetis, ut verbis ipsorum utar,

Aurea prima sata est ætas....
——— Subiitque argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Tertia post illam successit ahenea proles.
——— De duro est ultima ferro.

Latinæ vero linguæ ætates ordine contrario procedunt. Nam a ferrea, deinde ab ænea ad argenteam, & mox ad auream ventum est.

Quænam nuncupanda est ferrea Linguæ Latinæ ætas?

R. Ad ferream ætatem refer Leges duodecim tabularum, & Columnam rostratam C. Duillii, quæ hodieque visitur Romæ; itemque Saliares hymnos Numæ Pompilii, vix tandem a sacerdotibus suis intellectos, cujusmodi est v. gr. rancidulum illud fragmentum, quod a Varrone citatur: *Omnia dapatilia comisse Jani cusiones.... Duonus Cerufes Deivos Janos venet.* (a) Porro

(a) *Lautissimæ erant Saliorum cœnæ, unde Horatius:* Nunc saliaribus ornare pulvinar Deorum Tempus erat dapibus, sodales.

Dapatilia comiſſe ſignificat, ſi quæris; opipara comediſſe; *Jani* vero *Cuſiones* ſunt curiones ſeu ſacerdotes Jani; *Duonus Ceruſes* eſt bonus creator: *Deivos* adhibetur pro Divus, ut nemo non videt, & *Venet* pro venit.

Eodem refer vetuſtiſſimum illum verſum de Saliorum exultationibus:

Prꝗſul ut amptruat,inde & volgu' redamptruat olli.

Hoc eſt, cum Saliorum antiſtes & magiſter ſaltans, atque tripudians motum aliquem edidit, eumdem omnino motum de compacto referat Saliorum chorus omnis:

Et volgu' redamptruat olli.

Amptruare enim erat olim motum aliquem ſaltando edere. Porro ferream illam Latinæ Linguæ ætatem jure poteris illius quaſi pueritiam appellare.

Quanam eſt ænea Linguæ Latinæ ætas?

R. Ænea ætas incipit a Livio Andronico, qui omnium primus Latinos verſus ſcripſit. Ad eamdem ætatem pertinet,

Ennius ingenio maximus, arte rudis:

Ut de illo ſcribit Naſo; itemque Cæcilius, *Malus Latinitatis auctor*, inquit Tullius. Totum porro tempus illud, quo floruere Andronicus, Ennius, Nævius, Cæcilius, Pacuvius, &c. quaſi creſcentem Latinæ Linguæ ætatem poteris nuncupare.

Quanam eſt ætas argentea?

R. Ad ætatem argenteam pertinent Plautus in ſuis Comœdiis, & Cato de re ruſtica. Terentium vero ad auream ætatem omnino referendum eſſe judicamus: quamquam nonnullis, ob illius *Archaiſmos*, ſecus viſum fuerit; ſed immerito. Hanc vero argenteam ætatem quaſi adoleſcentiam Latinæ Linguæ poſſumus appellare.

Qua-

Quanam demum est aurea Latina Lingua ætas?

R. Auream ætatem appello tempus illud annorum ferme centum, quod vulgo Augusti ætas dicitur, estque magni Ciceronis ortum inter & ejusdem Imperatoris Augusti mortem interjectum. Hac aurea ætate floruerunt inter Oratores ac Rhetores, Cicero & Cornificius, auctor, ut verisimillimum est, quatuor librorum ad Herennium, qui vulgo adscribuntur Ciceroni; inter Historicos Julius Cæsar, A. Hirtius, qui scripsit Commentarios de bello Alexandrino, de bello Africano, & de bello Hispaniensi, Sallustius, (a) Vellejus vulgo dictus Paterculus, Cornelius Nepos, & Quintus Curtius. Inter Poetas Virgilius, Horatius, Catullus, Tibullus, Propertius, Phædrus, Ovidius, Lucretius & Publius Syrus, quorum postremi duo cæteros ætatis aureæ Poetas aliquantum ætate antecessere. Inter Medicos, Philosophos, reique rusticæ, aut Architectonicæ Scriptores, Varro, Columella, Cornelius Celsus, & Vitruvius. Aureum vero illud tempus quasi virilem latinæ linguæ ætatem vocare jure poterimus.

Eos igitur maxime legere & imitari oportet, qui hac aurea ætate vixerunt, ac ante omnes Tullium, *Cælestem in dicendo virum*, ut eum Fabius appellat, *quique*, ut ait idem Fabius, *apud posteros id consecutus est, ut Cicero jam non hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum sit exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placuerit.*

Quanta vero cura ac religione sermonis proprietatem observaverit Cicero, satis magno argumento erit quod dicam. Fuit cum existimaret *inhibere remos* idem esse ac retinere; & ut auriga equos inhibet, ut cursum sistat, sic etiam remos inhiberi, dum sustinentur. Postea

 vero

(a) *Vellejus Paterculus fuit prætor in Africa. Hinc errore Librariorum dictus* Paterculus *pro* Pater *cujus*.

limatum, quemadmodum genus infirmum ac simplex: sed, ut ait Tullius, *Est Stylus quidam interjectus, intermedius, & quasi temperatus, nec acumine inferioris, nec fulmine utens superioris, vicinus amborum; in neutro excellens, utriusque particeps.*

Vocatur autem ab eodem Tullio, *Stylus floridus atque politus*, quod nimirum in hunc præcipue mediocrem Stylum omnes verborum veneres ac venustates, omnes sermonis deliciæ soleant illigari. Absolutum hujusce Styli mediocris exemplum habes in Virgilii Georgicis: v. g cum ait Lib. 1.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis;
Sive inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor;
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas;
Seu durat magis, & venas adstringit hiantes,
Ne tenues pluviæ rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

§. V. De usu triplicis Styli, seu Characteris.

QUandonam utendum Stylo simplici, aut mediocri, aut sublimi?

R. Cum tria sint Oratoris Officia, docere, delectare & movere; Stylo simplicis utetur ad docendum, mediocri ad delectandum, magnifico vero ad movendum, & ad affectus concitandos.

Præterea Stylus simplex, seu infimus convenit comœdiis; magnificus aptus est tragœdiis; mediocris vero in historia est adhibendus: quamquam Cæsar simplicem potius, quam mediocrem Stylum usurpavit; quod nempe Commentarios potius
scri-

scripserit quam Historiam, ut notat Tullius in Libro De Claris Oratoribus.

Item Bucolicis, & Eclogis accommodatus est Stylus simplex; Georgicis convenit Stylus mediocris; Epico vero poemati, cujusmodi est Maronis Æneis, aptus est Stylus magnificus: quod triplex discrimen in Virgilio licet animadvertere. Quamquam hæc omnia genera non raro miscet in ipsa Æneide, & simplicem Stylum adhibet in libro quinto, ubi de ludis agit, & mediocrem in libro primo. Idem plane dicito de Comœdiis, quæ altius assurgunt aliquando, ut monet Horatius in arte Poetica:

Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Quinam Stylus ceteris duobus est anteponendus?

R. Stylum illum esse ceteris anteponendum, non qui sublimis sit, aut cujuslibet alterius generis; sed qui ad rem, de qua agitur, maxime sit aptus: ita ut, quemadmodum loquitur Tullius, *Magna graviter, mediocria temperate, humilia subtiliter efferat.*

§. VI. De Stylo vitioso.

QUænam sunt præcipua vitia in Stylo vitanda?

R. Vitiosum esse Stylum: 1. Tumidum, & inflatum: 2. Puerilem ac frigidum: 3. Fluctuantem, & dissolutum: 4. Denique siccum & exanguem.

Quid est Stylus tumidus, & inflatus?

R. Ille est, qui verbis ac sententiis supra modum intumescit. Id genus sunt illi Imperatoris (a) Neronis inepti versiculi, quorum tumorem jure ridet (b) Persius Satyra 1.

Tor-

(a) *Nero malus poeta, Bacchas scripsit, & saltavit.*
(b) Consule ipsum Persium.

Torva (a) Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
(b) Evion ingeminat: reparabilis adsonat echo.

Quid est Stylus frigidus?

R. Stylus frigidus, ac puerilis (sunt enim valde affinia hæc duo vitia) ille est, qui puerilia quædam ornamenta, frigidos lepores, ineptas allusiones, affectatas ac luxuriantes descriptiones, frivolaque hujusmodi crepundia putidius aucupatur; cujusmodi sunt istæ sententiæ, quæ merito repudiantur a magistris artis: *Centaurus se ipsum equitans..... Auro magis aurea, &c.*

Potest autem vitium illud esse vel in verbis, vel in sententiis. Erit in verbis, si sint vel molliora, quale est illud Mœcenatis: (c) *Femina cirro crispat, & labris columbatur, incipitque suspirans; ut cervice laxa feratur:* vel si sint indecore translata, qualia sunt ista, quæ damnat (d) Cornificius: *Montes belli fabricatus est, Campos sustulit pacis*; vel si juncta fuerint more dithyramborum, ut in illo Publii (e) Syri de ciconia:

Pietatis cultrix, gracilipes, (f) crotalistria;
Avis exul hiemis.

Erit vitium in sententiis, si nimis tumidæ sint & hyperbolicæ, qualis est ista lippis ac tonsoribus nota, quam referunt Plutarchus, & Cassius; *Minime mirandum est, si Dianæ Ephesiæ templum*

(a) *Bacchæ mulieres dicebantur Mimallonæ, vel Bassarides, vel Mænades, hoc est*, Insanæ.
(b) *Evoe, evion, Bacchantium furentium voces;*
(c) *Femen, inis*, coscia.
(d) *Auctor libri ad Herennium.*
(e) *Publius Syrus mimorum scriptor elegantissimus, vixit ante Virgilium tempore Julii Cæsaris.*
(f) *Quasi Crotalum voce imitans. Crotalus autem est Italis* Naccara.

plum conflagraverit, qua nocte natus est Alexander. Quippe Dea in ipso Olympia matris Alexandri partu, obstetricandi laboribus, & curis districta, ignem non valuit restinguere.

Sic etiam nimis frigide ac pueriliter dictum fuit a Plauto, de sene avaro, in Aulularia:

Suam rem perisse, seque eradicarier:
Quin Divum atque hominum clamat continuo fidem,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quid est Stylus fluctuans, ac dissolutus?
R. Ille est, qui sine articulis, sine numero, sine arte fluctuat huc illuc, neque sibi ullo pacto cohæret; quod sane vitium Tyronibus est valde familiare. Hujusmodi autem affert Cornificius: *Socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam quod possent facere, siquidem sua sponte facerent, & non haberent hic adjutores multos, & malos homines, & audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt gerere.*

Quid est stylus siccus, & exanguis, sive aridus?
R. Ille est, qui nihil ferme habet neque ornamenti, neque succi. Hoc styli genus vulgo (a) Frontoni tribuitur.

§. VII. De Stylo Laconico & Asiatico.

QUid est Stylus Laconicus?
R. Est Stylus argutus, perbrevis & acutus, quo multa paucis dicuntur. Nomen porro traxit a Laconibus, qui etiam Spartani dicebantur, ac Lacedæmonii, quibus Stylus ille erat in deliciis, & quibus prolixa loquacitate nihil erat odiosius.

Pro-

(a) *Fronto Marci Aurelii magister, qui ill. statuam a Senatu decerni curavit.*

Profer selecta aliquot exempla Styli Laconici.

R. 1. Hosti aliquando per atroces ac longiores litteras ferrum flammamque minitanti, hac una syllaba Græca responderunt Spartani; εἰ, *si*; hoc est, *Si potest, si per nos tibi licet*.

2. Philippo Regi Macedonum injustum nescio quid flagitanti responderunt hac unica littera: οὐ, *non*.

3. Ejusdem generis est responsum Clementis Spartanorum Ducis ad Samios: *Eorum quæ dixisti, prima non memini; media non intelligo; ultima non probo*.

His adde Laconicam illam epistolam Archidami ad Eleos bellum parantes: *Archidamus Eleis; Bonum est quiescere*.

Itemque illam (a) Philostrati litteram ad amicum: *Mitto ad te ficus hibernas. Mirare in illis vel quod jam sunt, vel quod adhuc sunt*.

Laconicam illam brevi loquentiam mirifice expressit Cæsar in laureatis suis ad Senatum litteris, victo Pharnace Ponti rege, Mithridatis filio; VENI, VIDI, VICI.

Porro brevitas illa loquendi imperiosum quiddam habet, ideoque aptissima est minantibus, mirificeque prodest ad animos perterrefaciendos. Nam ut in tenebris magis timentur omnia, quam in luce: sic illæ orationis quasi tenebræ terribiliora reddunt ea, quæ proponuntur, inquit Muretus in variis lectionibus. Idque, ut opinor, secuti sunt Lacedæmonii, cum ad Philippum, interposita nescio qua offensione, bellum minaciter intentantem ita scripserunt: *Lacedæmonii Philippo: Dionysius Corinthi*. Multo enim fortior, &, ut Lucretii verbo utar, penetralior illa brevitas fuit, quam si ita dixissent: Memento Dionysium Tyrannum, tui prorsus similem, regno fuisse pulsum ob ambitionem ac turbu-

len-

(a) *Philostratus Philosophus, qui Apollonii Thyanei vitam Græce scripsit, sed elegantius quam verius.*

lentum ingenium, & nunc privatam vitam ager Corinthi. Video ne tibi quoque contingat idem, dum aliorum libertatem ſtudes opprimere.

Neque diſſimile illud Demetrii ad Locrenſes: *Faxo, cicadæ apud vos humi canant*; cum ſignificare vellet totam illorum regionem a ſe devaſtatum iri.

Quid eſt Stylus Aſiaticus?

R. Ille eſt, qui fuſiori quodam orationis ambitu circumſcribitur, multiſque verbis pauca dicit. Aſiatici nomen traxit ab Aſiæ populis, qui diffuſiorem illum Stylum habebant in deliciis. Illius exemplum quotidie vides in verboſis illis hominibus, qui tam multis tam pauca dicunt, Hunc porro Stylum Aſiaticum tu fugies, ſi ſapis. Quid enim tam inſulſum eſt, quam verborum vel optimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia?

De ratione Styli comparandi.

Stylus, qui aliud nihil eſt, quam certa quædam ſcribendi ratio cujuſque propria, ex duabus maxime rebus coaleſcit: 1. Ex ſententia: 2. Ex ſententiæ conformatione, ſeu, quod idem eſt, ex verbis, quibus ornatur & quodammodo veſtitur ſententia.

De ſententia id generatim & univerſe dici poteſt, in ea ſpectandum eſſe primum, ut ſit vera; deinde ut ſit perſpicua; poſtremo ut ſit argumento idonea, & ad rem, de qua agitur, accommodata. In conformatione vero ſententiæ, qua una maxime Stylus continetur, quatuor ſunt obſervanda: 1. Verborum proprietas: 2. Eorumdem elegantia: 3. Nexus: 4. Collocatio.

Quomodo cognoſci & comparari poterit verborum proprietas, & elegantia?

Ad verborum proprietatem & elegantiam penitus cognoſcendam, adjumenti multum afferent,

rent, 1. Aureus (a) Hadriani Cardinalis Liber; *De sermone Latino, & modis latine loquendi*. 2. Apparatus latinæ locut. Bart. Riccij Lugien., 3. Alius a Manutio scriptus, quem *Elegantiæ latinæ locutionis* appellat. 4. Liber a Laurentio Valla elaboratus. *De latini sermonis elegantia*. 5. *Delectus Latinitatis* Mureti, & *Flos Latinitatis* Pomei. 6. Non omittendus Liber ab Henrico Stephano editus, *De latinitate falso suspecta*: nec opus posthumum Vavassoris, *De vi & usu quorumdam verborum*.

Præcipue vero & supra cetera omnia adhibendus erit laudatissimus Nizolii Apparatus in Ciceronem, cum Francisci Sylvii Progymnasmatis ad illius calcem editis.

Sunt autem Sylvii Progymnasmata trecentæ observationes eximiæ, de incorrupta Latini sermonis integritate, quas ego Tyronibus pernecessarias semper existimavi.

Quo pacto intelligi poterit & edisci verborum nexus, & apta eorumdem collocatio?

R. Verborum nexus, & Ciceroniana collocatio continetur particulis quibusdam, seu commissuris, quæ vim habent hujusmodi, ut nihil sit abruptum in Stylo, nihil hians, & absonum, nihil dissolutum & fluctuans, hoc est, quod sine nervis, articulisque fluctuet huc illuc: sed ut omnes sententiæ, singulæque earum partes certo inter se modo numeroque cohæreant.

Valde profuerit in eam rem legere aureum Horatii Tursellini libellum, *De Particulis Latinæ locutionis*. Habebit etiam utilitatem aliquam *Flos latinitatis* in tertia parte, quæ est *de Particulis*; sed Tursellino longe multumque inferior.

Denique ad verborum collocationem Ciceronianam facilius noscendam, consulenda erunt Sylvii Progymnasmata, de quibus supra dictum. Vide etiam quæ paulo ante diximus de regulis, quibus reddi poterit numerosa periodus.

Qui-

(a) *Hadrianus Cardinalis floruit initio Sæc.* 16.

Quibus rebus comparari facile poterit Stylus optimus?

R. Duabus maxime rebus: primo, diligenti bonorum librorum lectione: 2. assidua eorumdem imitatione. Diximus in Elementis de Imitatione: nunc vero superest, ut de Lectione & de Librorum delectu videamus.

De Scriptorum Latinorum delectu.

Quæcumque diximus hactenus, & posthac dicturi sumus, vel nullam, vel perexiguam habebunt utilitatem, nisi exquisitissimum quemdam delectum in Latinis auctoribus legendis, & imitandis adhibeamus.

Sunt autem Scriptorum Latinorum ætates quatuor, nempe uti hominum apud Poetas. Sed Poetis, ut verbis ipsorum utar,

Aurea prima sata est ætas....
——— Subiitque argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Tertia post illam successit ahenea proles.
——— De duro est ultima ferro.

Latinæ vero linguæ ætates ordine contrario procedunt. Nam a ferrea, deinde ab ænea ad argenteam, & mox ad auream ventum est.

Quænam nuncupanda est ferrea Linguæ Latinæ ætas?

R. Ad ferream ætatem refer Leges duodecim tabularum, & Columnam rostratam C. Duillii, quæ hodieque visitur Romæ; itemque Saliares hymnos Numæ Pompilii, vix tandem a sacerdotibus suis intellectos, cujusmodi est v. gr. rancidulum illud fragmentum, quod a Varrone citatur: *Omnia dapatilia comisse Jani cusiones.... Duonus Cerufes Deivos Janos venet.* (a) Porro

G *dapa-*

(a) *Lautissimæ erant Saliorum cœnæ, unde Horatius:* Nunc saliaribus ornare pulvinar Deorum Tempus erat dapibus, sodales.

dapatilia comiſſe ſignificat, ſi quæris; opipara comediſſe; *Jani* vero *Cuſiones* ſunt curiones ſeu ſacerdotes Jani; *Duonus Ceruſes* eſt bonus creator: *Deivos* adhibetur pro Divus, ut nemo non videt, & *Venet* pro venit.

Eodem refer vetuſtiſſimum illum verſum de Saliorum exultationibus:

Prǽſul ut amptruat, inde & volgu' redamptruat olli.

Hoc eſt, cum Saliorum antiſtes & magiſter ſaltans, atque tripudians motum aliquem edidit, eumdem omnino motum de compacto referat Saliorum chorus omnis:

Et volgu' redamptruat olli.

Amptruare enim erat olim motum aliquem ſaltando edere. Porro ferream illam Latinæ Linguæ ætatem jure poteris illius quaſi pueritiam appellare.

Quænam eſt ænea Linguæ Latinæ ætas?

R. Ænea ætas incipit a Livio Andronico; qui omnium primus Latinos verſus ſcripſit. Ad eamdem ætatem pertinet.

Ennius ingenio maximus, arte rudis:

Ut de illo ſcribit Naſo; itemque Cæcilius, *Malus Latinitatis auctor*, inquit Tullius. Totum porro tempus illud, quo floruere Andronicus, Ennius, Nævius, Cæcilius, Pacuvius, &c. quaſi creſcentem Latinæ Linguæ ætatem poteris nuncupare.

Quænam eſt ætas argentea?

R. Ad ætatem argenteam pertinent Plautus in ſuis Comœdiis, & Cato de re ruſtica. Terentium vero ad auream ætatem omnino referendum eſſe judicamus: quamquam nonnullis, ob illius *Archaiſmos*, ſecus viſum fuerit; ſed immerito. Hanc vero argenteam ætatem quaſi adoleſcentiam Latinæ Linguæ poſſumus appellare.

Quæ-

Quanam demum est aurea Latinæ Linguæ ætas?

R. Auream ætatem appello tempus illud annorum ferme centum, quod vulgo Augusti ætas dicitur, estque magni Ciceronis ortum inter & ejusdem Imperatoris Augusti mortem interjectum. Hic aurea ætate floruerunt inter Oratores ac Rhetores, Cicero & Cornificius, auctor, ut verisimillimum est, quatuor librorum ad Herennium, qui vulgo adscribuntur Ciceroni; inter Historicos Julius Cæsar, A. Hirtius, qui scripsit Commentarios de bello Alexandrino, de bello Africano, & de bello Hispaniensi, Sallustius, (a) Vellejus vulgo dictus Paterculus, Cornelius Nepos, & Quintus Curtius. Inter Poetas Virgilius, Horatius, Catullus, Tibullus, Propertius, Phædrus, Ovidius, Lucretius & Publius Syrus, quorum postremi duo cæteros ætatis aureæ Poetas aliquantum ætate antecessere. Inter Medicos, Philosophos, reique rusticæ, aut Architectonicæ Scriptores, Varro, Columella, Cornelius Celsus, & Vitruvius. Aureum vero illud tempus quasi virilem latinæ linguæ ætatem vocare jure poterimus.

Eos igitur maxime legere & imitari oportet, qui hac aurea ætate vixerunt, ac ante omnes Tullium, *Cœlestem in dicendo virum*, ut eum Fabius appellat, *quique*, ut ait idem Fabius, *apud posteros id consecutus est, ut Cicero jam non hominis nomen, sed eloquentia habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum sit exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placuerit.*

Quanta vero cura ac religione sermonis proprietatem observaverit Cicero, satis magno argumento erit quod dicam. Fuit cum existimaret *inhibere remos* idem esse ac retinere; & ut auriga equos inhibet, ut cursum sistat, sic etiam remos inhiberi, dum sustinentur. Postea

(a) *Vellejus Paterculus fuit prætor in Africa. Hinc errore Librariorum dictus* Paterculus *pro* Pater cujus.

vero ex nautis didicit inhiberi remos: cum remiges alio navigantes modo, navim ad puppim convertunt. Quod edoctus, minime cessandum putavit, donec Atticus & Varro monerentur, ut in primo de Oratore libro, quem jam transmiserat, locus ille emendaretur. Quod ita esse indicant hæc Tullii verba ad Atticum (a): *Inhibere illud tuum, quod mihi arriserat, vehementer displicet: est enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem sciebam; sed arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges jussi. Id non esse ejusmodi didici heri, cum ad villam nostram navis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab* (b) ἐποχῆς *remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices idem Varroni, nisi forte mutavit.*

Quod si de vocula una ita laboravit Tullius, nihil mirum si viro, ut omnium eloquentissimo, ita etiam proprietatis adeo amanti, omnium doctissimus Varro mitteret libros suos de Lingua Latina; si item omnium fortissimus Julius Cæsar, nec vel eloquentia, vel doctrina illi minor futurus, si totum his se studiis tradidisset, eidem dicaret libros suos de Analogia. Qua de re sic Tullius in Bruto: *In maximis occupationibus ad me ipsum de ratione Latine loquendi accuratissime scripsit Cæsar.*

Quisnam Ciceroni proximus est incorrupta Latini sermonis integritate & elegantia?

R. Primum post Ciceronem damus locum Cæsari, atque Terentio. Sane quam præclare de utroque senserit Tullius, liquet ex his, quæ de utroque scripsit. Ac de Terentio quidem sic loquitur ad Atticum: *Secutus sum, non dico Cæcilium (malus enim auctor Latinitatis est) sed*

(a) *Epist. 21. Lib. 13.*
(b) *Retentione.*

ſed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam putabantur a C. Lælio ſcribi.

De Cæſare vero ſic idem in Bruto: *Etiam Commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum valde quidem probandos: nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tamquam veſte detracta: ſed dum voluit alios habere parata unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa* (a) *calamiſtris inurere, ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit.*

Quinam latinitatis auctores, poſt tres hos, legendi ſunt?

R. Cum Fabio, *Ut quiſque erit Ciceroni ſimillimus*; Quales ſunt Phædrus, Cornelius Nepos, Livius, Curtius, & alii quos recenſuimus, qui vel Ciceronis ævo vixere, vel non ita magno diſtant intervallo.

Deguſtari etiam poterunt, ſed parce & ſero, recentiores nonnulli, qui Ciceronem diligenter ſunt imitati; & quomodo ſit imitandus, ipſi exemplo eſſe poterunt. Quales ſunt Muretus, Manutius in epiſtolis illis, quas ante ſenium ſcripſit, nam cæteræ frigidam ſapiunt ætatem; Sadoletus, Bembus, Riccius, Maffeus pictus atque politus, Bunellus, Turſellinus, Longolius, Perpinianus, Vavaſſor, Petavius.

Poſt obitum Auguſti, incorrupta illa, quam dixi, latini ſermonis integritas ſenſim adulterari cœpta eſt, & quaſi ex auro in argentum iterum commutari, ut ex Senecæ, Fabiique & aliorum querimoniis liquet. In decreſcente illa ætate ſunt inter Oratores ac Rhetores, Fabius Quintilianus, Plinius Junior, &c. Inter Hiſtoricos Svetonius, Tacitus, Juſtinus, &c.

(a) *Calamiſtrum* eſt ferrum illud teres, quo candente capilli intorquentur, in cincinnoſque criſpantur. *Inurere* vero *calamiſtris* metaphorice dicitur pro *vanum atque immodicum ornatum adhibere*, Ital. *Infraſcare, imbellettare, ec.*

Inter Poetas Lucanus, Persius, Silius, Juvenalis, Statius, Martialis, Seneca; Inter Philosophos vero Seneca, Plinius, Veronensis; inter Grammaticos denique Asconius, Agellius, &c.

Denique a temporibus Severi auspicari licet æneam ætatem, quæ tandem in ferream desiit, postquam variarum gentium irruptione ipsi Romani facti sunt barbari, & in hac ætate decrepita sunt Symmachus, Capella, Sidonius Apollinaris; quos omnes tu vitabis summopere, si sapis.

Finis Libri Primi.



ARTIS RHETORICÆ LIBER SECUNDUS.

DE INVENTIONE.



Gimus hactenus de Figuris ac Tropis, de Periodo & de Stylo. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut agamus de Inventione, sine qua, teste Tullio, frivola erit & puerilis omnis locutio.

Quid est Inventio?

R. Est excogitatio argumentorum, quæ valeant tum ad fidem faciendam, tum ad motus excitandos. Primum igitur agendum nobis erit de argumentis, deinde de motibus, seu affectibus excitandis.

De argumentis, & locis oratoriis.

Quid est argumentum?

R. Est probabile inventum ad faciendam fidem; ut, si probare velis expetendam esse Rhetoricam, invenies, quod sit ars bene dicendi.

Undenam sumuntur Argumenta, sive rationes ad aliquid probandum?

R. Sumuntur ex locis oratoriis, quos Tullius appellat *Argumentorum sedes, in quibus latent,* & ex

& ex quibus sunt depromenda. Quapropter, si vis Orator esse, in promptu tibi esse debent loci illi, &, ut ita loquar, ad manum; ut in illis uberrimam Argumentorum segetem facile possis invenire.

Quot sunt genera locorum?

R. Duo. Alii enim petuntur ab ipsa re, & idcirco vocantur *Intriseci*, seu *insiti*: alii sunt extra ipsam rem, de qua quæstio est; unde etiam vocantur *Extrinseci*, seu *Remoti*. De utroque illo genere, ac de primo præsertim, quod majus quoddam momentum habet ad eloquentiam, accuratissime nobis est hoc loco tractandum.

CAPUT PRIMUM.

De Locis intrinsecis.

Quot sunt Loci oratorii intrinseci?

R. Sexdecim: Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Comparatio, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Caussæ, Effecta, Comparatio.

§. I. Definitio.

Quid est Definitio?

R. Est brevis & circumscripta rei explicatio; inquit Tullius; vel, ut Philosophi malunt, Definitio est oratio, quæ rei naturam explicat.

Quomodo fit recta Definitio?

R. 1. Accipito aliquid rei, quæ definitur, commune cum aliis; deinde addito aliquid illi unice proprium ac peculiare, & tum demum habebis optimam definitionem: v. g. *Rhetorica est ars bene dicendi*: quod sit ars, hoc illi commune

mune est cum aliis artibus; quod vero sit ars bene dicendi, hoc est illi omnino proprium. Quod si manca sit & mutila tua definitio, jure ac merito poterit tibi contingere quod olim Platoni contigit. Definierat aliquando Plato hominem, *Animal bipes, & implume*. Diogenes Cynicus, homo dicax & Academicorum irrisor, gallum implumem ac nudum in mediam Platonis scholam projiciens, *En*, inquit, *hominem Platonis*.

Estne eadem definiendi ratio Logicis & Oratoribus?

R. Longe diversa. Logici enim jejune, breviter, ac sicce rem definiunt per genus & differentiam: v. gr. *Homo est animal rationale:* Orator vero liberius & ornatius hominem ita definiet per locos Rhetoricos: *Homo est eximium opus a Deo efformatum, rationis particeps, ad Dei imaginem conditum, atque ad immortalitatem natum*. Hoc autem Oratorium definiendi genus, si recte appellare velimus, *Descriptio* potius appellari debet, quam *accurata Definitio*.

Quot modis fieri solet Descriptio, seu oratoria Definitio?

R. Sex potissimum modis fieri solet. 1. Per partes, ex quibus res ipsa constat; ut si dicas: *Ars oratoria est ars, quæ constat inventione, dispositione, elocutione, & pronunciatione.*

2. Fit per effectus, ut cum dicitur: *Peccatum est pestis animæ, conscientiæ labes, vitæ pernicies, naturæ dedecus, orbis ruina, odium Dei, &c.*

3. Definitio fit per negationem & affirmationem; cum nempe primum dicimus quid non sit res, ut deinde melius intelligatur quid sit: & hæc definiendi ratio Ciceroni perfamiliaris fuit. Ita Pisonem probat non fuisse Consulem. *Tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? Quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te Consule, esse voluisti. Hujus tu Clodiani*

canis insignibus consulatum declarari putas? Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, toto denique munere consulatus. Et pro domo sua: *An tu Populum Rom. esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui compelluntur, ut vim afferant magistratibus? ut obsideant senatum? optent quotidie cadem, incendia, rapinas? ...... O speciem dignitatemque populi Rom. quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimescant! Multitudinem hominum ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam. Illa fuit pulchritudo Populi Rom., illa forma, quam in campo vidisti, tum cum etiam tibi, contra Senatus, totiusque Italiæ auctoritatem, & studium, dicendi potestas fuit.*

4. Definitio fit ab adjunctis. Ita Chymicam artem non minus vere, quam lepide defines: *Chymia est ars sine arte, cujus principium est mentiri; medium laborare; finis mendicare.* Ita Virgilius famam describit ab adjunctis: (a)

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:
Parva metu primo, mox se se tollit in auras;
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
. . . .
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu!)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
. . . .
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

5. Definitio fit venuste per similitudinem atque Metaphoras, ut si dicas cum (b) Petrarcha, *Pul-*

(a) *Æneid 4.*
(b) *De remediis utriusque fortunæ, Petrarcha Patria Florentinus, Aretii natus, ingenio, eloquentia, & poetica facultate sui sæculi facile princeps, floruit sæculo 14.*

Pulchritudinem esse blandum hostem, dulcem raptorem, tortorem fraudulentum, laqueum pedibus, oculis velum, &c. Observa tamen, Metaphoricis id genus definitionibus caute admodum utendum esse & cum mica salis, ut ait Catullus.

§. II. Enumeratio partium.

Quid est Enumeratio partium?

R. Est oratio, quo totum in suas partes distribuitur; unde locus ille vocatur etiam *Distributio*: ut si distribuas, ac dividas vitam humanam in pueritiam, adolescentiam, virilem ætatem, & senectutem.

Quæ sunt regulæ, ac leges Enumerationis partium?

R. Tres præcipuæ. 1. Regula hæc est: affirmatis omnibus partibus, affirmatur totum. Ita Tullius probat Pompejum esse summum Imperatorem, omnes & singulas optimi Imperatoris virtutes sic enumerando: *Ego enim existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere; scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* Pergit deinde, & quatuor hæc in suo Pompejo summa esse sic probat: *Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit, aut esse debuit, qui e ludo atque pueritiæ disciplinæ, bello maximo atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est?* Deinde de ejus justitia: *Cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.* Et de temperantia sic loquitur: *Non avaritia ab instituto cursu ad prædam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem, &c.*

Ita etiam (a) Lactantius Dominicæ mortis acer-

(a) *Lactantius Firmianus, eloquentia, & eruditione clarus, Crispi, Constantini magni filii, præceptor*

acerbitatem, singularum partium cruciatu, pie æque ac eleganter probat:

Compressos speculare oculos, & luce carentes,
Afflictasque genas, arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus;
Cerne manus clavis fixas tractosque lacertos,
Atque ingens lateri vulnus; Cerne inde cruorem
Purpureum, fossosque pedes, artusque cruentos,
Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

Sic Juvenalis Sat. 3 per Partium enumerationem ridet quendam, qui se omnia scire profitebatur:

Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, (a) Aliptes,
Augur, (b) Schœnobates, Medicus, Magus; omnis novit
Græculus esuriens; in cœlum, jusseris, ibit.

Quænam est secunda regula?

R. 2. Regula hæc est, ut negatis omnibus & singulis partibus, negetur totum. Sic probat Tullius Antonium non esse Consulem: *Negat hoc* (c) *D. Brutus Imperator; negat Gallia: negat cuncta Italia: negat Senatus, negatis vos. Qui igitur illum consulem, nisi latrones, putant?*

Cedo ultimam regulam enumerationis partium.

R. Ut negatis partibus recte negetur totum, nulla tibi erit prætermittenda pars, quoad ejus fieri poterit. Ita Martialis vetulam quamdam probat esse edentulam:

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes,
Expuit una duos tussis, & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus:
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

§. III.

(a) *Aliptes, qui Athletas ungit.* (b) *Schœnobates, funambulus*, Ballatore sulla corda.
(c) *Decius Brutus,*

§. III. Notatio Nominis & Conjugata.

AD unum & idem caput duos hosce locos propter affinitatem revocamus. Quamvis porro uterque ille locus, propter levitatem, non adeo valere videtur ad persuadendum; quia tamen non parum valet ad delectandum & ad orationem lepore aliquo ac sale condiendam, idcirco ab Oratoribus interdum summis adhibetur.

Quid est Notatio?

R. Notatio, seu Etymologia, est locus, qui verborum originem, & significationem inquirit, ut *Senatus* nomen traxit a *Senibus*: *Consul* vocatur is, qui *consulit patriæ*: ergo Piso nihil minus quam consul est: & Ovidius in Fastis *Victimam* sic appellari dicit *a vincendo, & hostiam ab hoste*.

Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur.
Hostibus a domitis hostia nomen habet.

Quandonam potissimum utendum est Notatione nominis?

R. Quando in nomine aliquo laudem, vel dedecus, aut locum aliquem, non scurrilem ac mimicum, sed liberalem, & urbanum invenit Orator. Sic in nomine (a) *Verris* jocose lusit Cicero, quasi ita dictus fuisset, quod omnia *verreret*; hoc est omnia raperet homo furacissimus: *Quam tu, inquit, domum, quod fanum adjsti, quod non eversum, atque extersum reliqueris?* Sic etiam Chrysogonum in avaritiæ suspicionem vocavit ab ipsius nomine quod *aureum* significat, aut quasi *auro genitum*.

Ad notationem nominis pertinent Anagrammata,

(a) *Veres homo libidinosus & avarus, cum in Sicilia triennium Prætor fuisset, repetundarum accusatus fuit a Siculis.*

mata, cujusmodi sunt ista: *Amor*, Roma, Maro: *Logica*, Caligo: *Ursula*, Laurus: *Prudentia*, tarde puni: *Maria Virgo*, mira Virago: *Divus Alexius*, diu exul a suis: *Quid est veritas*, est vir qui adest: *Maria Magdalena*, grandia mala mea: *Sacramentum Eucharistiæ*, chara Ceres mutata in Jesum &c.

Quamquam, ut ingenue dicam quod sentio, perpusilli ingenii est, frivolis hujusmodi nugis immorari, quæ scilicet laborantis magis sunt, quam elegantis ingenii partus. Et, si me audis, vana hæc crepundia relinques Judæis, qui multi sunt in observandis exilibus literulis, & apud quos nata opinor Anagrammata, & ab illis ad nos usque, infelici contagione, derivata.

Quid sunt Conjugata?

R. Sunt ea, quæ ab uno orta vocabulo varie conjugantur, seu commutantur, ut *Sapiens*, *sapientiam*, *sapienter*; *Imperium*, *imperator*, *imperare*. Ex hoc Conjugatorum loco Cæsarem ingeniose admodum ita laudat (a) Tullius: *Ceteros quidem omnes victores bellorum civilium, jam ante æquitate & misericordia viceras: hodierna vero die te ipsum vicisti.... Nam cum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo ipsius etiam victoriæ conditio, visque devicta est.*

Ex hac verborum Conjugatione sic etiam argumentatur Propertius:

Aurea nunc vere sunt sæcula. Plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

In hoc idem genus facete lusit Martialis. Epig. lib 2.

Hostem cum fugeret, se (b) Fannius ipse peremit.
Hic (rogo) non furor est, ne moriare, mori?

Ad

(a) *Pro Marcello.*

(b) *Fannius Cæpio proscriptus, quod in Augustum conjurasset, cum fugeret percussores, se ipse interemit.* Sic mori vinci est, *inquit de illo Seneca.*

Ad eumdem locum pertinet illud in Pisonem; *Cum enim esset omnis causa illa mea Consularis & Senatoria, auxilio mihi opus erat, & Consulis & Senatus.*

Est illud (a) Terentianum elegans in primis in hoc eodem genere: *Homo sum; humani nihil a me alienum puto.*

Eodem quoque pertinet venustissimum illud Epigramma inscriptum Ludovici M. Statuæ in hortulo Simplicium Collegii Parisiensis S. J.

Vitales inter succos, herbasque *salubres*
Quam bene stat populi *vita salusque* sui!

§. IV. Genus, & species, seu Forma.

Quid est Genus?

R. Genus apud Rhetores dicitur illud, quod est commune multis, & quod multa sub se complectitur, ut virtus sub se continet justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam.

Facito, sodes, argumentum a genere.

R. Præsto est: *Temperantia est virtus, ergo est amanda.*

Qua potissimum ratione tractatur ille locus?

R. Tractatur in primis, cum a specie fit transitus ad genus, seu, ut vulgo loquuntur, cum hypothesis revocatur ad thesim. Hujusce loci luculentum habes exemplum in Oratione pro Archia Poeta, ubi Cicero cum laudandum Archiam Magistrum suscepisset (quod est hypothesis) rem ad thesim revocavit, hoc est, poesim & studia humanitatis generatim & universe laudavit, ut latiorem orationis suæ campum aperiret. Adverte igitur quo artificio ab hypothesi transit ad thesim.

Laus

(a) *In Heautontimorumeno.*

Laus Archiæ Poetæ a genere.

Sit igitur sanctum apud vos humanissimos homines hoc Poetæ nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa, & solitudines voci respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? (a) *Homerum Colophonii Civem esse dicunt suum, Chii suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expetunt, nos hunc vivum, qui & voluntate & legibus noster est, repudiabimus?*

Quod vitium in genere tractando vitandum est?

R. Hoc loco solent intemperantius abuti Tyrones, dum thesim longius trahunt, quod nempe res sit communior faciliorque, & multorum trita vestigiis; v. gr. si de Justitia, vel de Charitate sermo fit, illi se se in virtutis laudes universe ac generatim effundent, & miseram crambem, ut ajunt, tædium affectis auribus ac fastidium usque ad satietatem ingerent. Tu igitur, si sapis, hoc vulgare vitium fugies:

Nec circa vilem, patulumq; moraberis orbem. (b)

Ne in te jure cadat lepidum illud Martialis dictum:

Jam dic, Posthume, (c) de tribus capellis,

Utinam præcipue locum habet argumentum a genere?

R. Locum habet præcipuum in orationis exordio, ubi præmitti solet aliquod universale prin-

(a) *Homerus poetarum Græcorum princeps, quem suum esse civem septem oppida certatim afferunt.*

(b) *In Arte poetica.* (c) *Ineptus causidicus, qui ad alia omnia abibat, quam caussa postulabat.*

principium, a quo ad hypothesim, hoc est ad singularem propositionem descenditur.

Quid est Species, seu Forma?

R. Ex his, quæ dicta sunt de genere, facile intelliges speciem esse id, quod minus late patet; seu esse rem particularem, quæ sub universali continetur. Vocatur autem apud Rhetores *Hypothesis*; v. gr. *Virtus est amanda*, est Genus, sive Thesis: *Temperantia hic & nunc est in convivio servanda*, en Species, sive Hypothesis.

§. V. Similitudo, & Dissimilitudo.

Quid est Similitudo?

R. Similitudo est rerum cæteroqui disparium collatio, atque convenientia in aliqua re: v. gr. est similitudo inter avarum & hydropem, quia licet avarus & hydrops sint duæ res longe diversissimæ, in eo tamen conveniunt, quod neuter satiari possit. Item homo iratus dicitur esse similis Leoni rugienti; quia homo iratus & Leo rugiens sunt duæ res valde inter se se dispares, quæ tamen in aliqua re conveniunt, nempe in furore. Sic etiam umbra & gloria sunt res diversissimæ: in hoc tamen conveniunt, quod umbra corpus, gloria virtutem comitetur. Unde ait Cicero; *Gloria est umbra virtutis.*

Quomodo fit argumentum a similitudine?

R. Facies in hunc fere modum cum Tullio: *Quidam morbo, aut sensus stupore, cibi suavitatem non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi, veræ laudis gustum non habent.* Sic etiam argumentari poteris a simili cum Ovidio: (a)

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Quid est discriminis inter similitudinem & comparationem?

R. Si

(a) *Trist. lib.* 1.

R. Similitudinem proprie pertinere ad id; quod *qualitatem* vocant; comparationem vero pertinere ad *quantitatem*. Fit enim comparatio vel a pari, vel a majori ad minus, vel a minori ad majus, ut dicetur postea: in similitudine vero nulla fit mentio neque paris, neque majoris, neque minoris.

Quomodo facile poterit inveniri argumentum a simili?

R. Quæres statim, quænam res sit similis & ejusdam naturæ cum ea, quam explicandam sumis. Ita si agatur de constantia, quæres quid vel maxime resistat, & occurret tibi *rupes*, *adamas*, dicesque cum Virgilio de rege Latino: (a)

Ille, velut pelagi rupes immota, resistit.

Vel ut idem Virgilius de Didone lib. 6.

Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Nec magis incœpto vultus sermone movetur;
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Quid est dissimulatio?

R. Est oratio, quæ ex re dissimili dissimile colligit; ut cum ait Tullius: *Si barbarum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent*. Et lib. 2. de Oratore: *Artes reliqua ab eloquentia differunt, quod hac non habeat definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur: catera vero artes suis se certis quibusdam finibus contineant*. Hunc locum a Dissimili lepidissime tractat Catullus, eum ait Carmine 5.

Soles occidere & redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux;
Nox est perpetua una dormienda.

Ad hunc eumdem locum pertinet hæc Horatiana sententia:

Damna

(a) *Lib. 7.*

Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ;
Nos ubi decidimus,
Quo pius Æneas? quo (a) Tullus dives,
& Ancus?
Pulvis & umbra sumus.

§. VI. Contraria & repugnantia.

QUid *sunt Contraria, seu opposita?*
R. Sunt ea, quæ in eodem subjecto esse non possunt; vel si fuerint in eodem, necessario inter se pugnant.

Quot sunt Contrariorum genera?
R. Quatuor omnino numerantur, nimirum Adversa, Relata, Privantia & Contradicentia.

Quid sunt Adversa?
R. Sunt ea, quæ in eodem plurimum inter se differunt, ut *virtus, & vitium; bellum, & pax; sapientia, & stultitia*. Cicero Philip. 2. *Attende paulisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe ...... Nego quidquam esse medium: Confiteor, eos, nisi liberatores Populi Rom. conservatoresque Reip. sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse: siquidem est atrocius Patriæ parentem, quam suum occidere. Tu, homo sapiens, & considerate, quid dicis? Si parricidæ, cur honoris caussa a te sunt & in hoc ordine, & apud Populum Rom. semper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe plus quam decem dies abfuisset? cur provincia Cassio & Bruto data &c. Non igitur homicidæ. Sequitur, ut liberatores tuo judicio sint*.

Quid sunt Relata?
R. Sunt ea, quæ se invicem ita respectant, ut alterum sine altero esse non possit, ut *Pater, & filius; dux, & miles; magister & discipulus*,

(a) *Tullus, cognomento Hostilius, tertius Romanorum Rex. Illi successit Ancus Martius.*

lus; *dominus*, *& servus*; *qui dat*, *& qui accipit*. Ita Martialis lib. 1. ex hoc Relatorum loco facete jocatur in Sosibianum quemdam, qui suum patrem *Dominum* inepte omnino vocitabat:

E (a) servo scis te genitum, blandeque fateris,
Dum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Ex hoc eodem loco Cæsarem ita laudat Cicero, in oratione pro Marcello: *Ex quo profecto intelligi debet, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria*. Huc denique pertinent hæc verba Veneris, arma pro filio suo Ænea poscentis a Vulcano:

Arma rogo genitrix nato. .

Quid sunt Privantia?
R. Sunt habitus & ejus privatio: ut *vita & mors*; *lux & tenebræ*; *scientia & inscitia*; *pauperies & divitiæ*. Ex privantibus ingeniose argumentatur Martialis in quemdam:

Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam.

Hinc etiam ingeniosum illud ejusdem Poetæ lib. 5.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.

Quid sunt Contradicentia?
R. Sunt ea, quorum alterum negat, alterum affirmat idem de eodem: Ut, *Milo insidiatus est Clodio*, *Milo non est insidiatus Clodio*.

§. VII. Adjuncta.

QUid sunt Adjuncta?
R. Sunt ea, quæ cum re, de qua agitur, non necessario, sed probabiliter conjuncta sunt.

Quot

(a) *Sosibianus ex adulterio nobilis Matronæ cum servo natus, illius matronæ virum, cujus filius putabatur, dominum blandiendo vocitabat.*

Quot sunt Adjunctorum genera?

R. Tria vulgo numerantur: 1. Adjuncta rei, ut *locus*, *tempus* &c. 2. Adjuncta animi, ut *vitia*, *virtutes*; 3. Adjuncta corporis; ut *pulchritudo*, *deformitas*, *robur*, *vestis*, *habitus*: Uno verbo omnia, quæ rem quoquo modo circumstant, sive præcedant, sive comitentur, sive consequantur, appellantur Adjuncta, seu res circumstantes. Unde liquet quam longe lateque pateat locus ille, & quam uberem dicendi segetem Oratori suppeditet.

Quomodo sumi potest argumentum ab Adjunctis?

R. Cum ex loco, tempore, facultate, aliisque id genus, quæ rem circumstant, persuadendi occasionem idoneam captat Orator. Sic (a) Hannibal Italiam ingressus, militibus suis eloquenter admodum facit animos ex loco, unde fugere non liceat.

Oratio Hannibalis milites suos ad pugnam adhortantis. *Liv. lib.* 21.

Dextra lævaque duo maria claudunt. Nullam ne ad effugium quidem navem habemus. Circa Padus amnis major ac violentior Rhodano: a tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac viventibus transita. Hic vobis vincendum aut moriendum, Milites, est . . . . . Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicaverimus. Illis timidis & ignavis licet esse, qui receptum habent, quos ager suus, quos sua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes, accipient. Vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemque certa desperatione abruptis, aut vincere, aut si fortuna dubitabit, in prælio potius quam in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, ad

(a) *Hannibal Amilcaris filius, Carthaginiensium Dux, qui sæpius Romanos vicit.*

ad vincendum homini a Diis immortalibus acrius datum est.

Cicero autem ab adjunctis Antonii levitatem ac turpitudinem exagitat; *Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de iniquissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in Populi Rom. conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe diceret? In cœtu vero Populi Rom. negocium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe esset: is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit.*

Porro memoriæ juvandæ caussa, præcipua octo Adjunctorum genera hoc vulgari versiculo fuere comprehensa:

> Quis, quid, ubi, per (a) quos, quoties; cur, quomodo, quando.

Quis significat personam, & quæ ad illam pertinent, cujusmodi sunt genus, educatio, indoles, ætas, sexus, patria, cognatio, fama, virtus, ingenium, &c.

Quid negotium designat, sive rem, de quâ agitur. *Ubi* locum demonstrat. *Per quos* indicat adjutores & socios, quorum opera facta res est. *Quoties* docet quam sæpe res facta fuerit. *Cur* caussam & finem designat. *Quomodo* modum ac seriem ostendit rei gestæ. Denique *Quando* denotat tempus, quo gesta res est.

§. VIII. Antecedentia, & Consequentia.

Q. *Uid sunt antecedentia?*

R. Sunt ea, quibus positis, necesse est alia con-

(a) *Alii dicunt*, quibus auxiliis, *sed minus commode.*

consequi; ut, Ortus est sol; ergo dies est. Tu natus es homo; ergo dubio procul morieris. Ille gravissimi sceleris reus est; ergo gravissime plectetur a justo judice.

Quid sunt Consequentia?
R. Sunt ea, quæ rem necessario consequuntur. Sic autem argumentum duces a consequentibus: *Est copia fructuum; ergo & florum fuit. Cicatricem gerit; ergo plagam accepit*. Cicatrix enim & fructus plagam & flores consequuntur. Quia vero locus ab Antecedentibus & Consequentibus non maximopere differt ab Adjunctis, ideo diutius in illo immorari non est operæ pretium.

§. IX. Caussæ.

Quid est Caussa?
R. Est id, unde aliquid est: vel id, vi cujus aliquid fit; ut vulnus est caussa mortis, cruditas est caussa morbi, &c.

Quotuplex est caussa?
R. Quadruplex numeratur a Philosophis, efficiens, materialis, formalis & finalis.

Quid est caussa materialis?
R. Ea est, ex qua aliquid fit, aut componitur: ut marmor est materia, seu caussa materialis statuæ; lapides sunt materia domus; corpus est hominis quasi materia.

Quid est caussa formalis?
R. Est ratio rei ac nota, per quam res est id, quod est, & a rebus aliis distinguitur; unde anima est forma hominis, quia per animam fit rationalis, & a ceteris animantibus distinguitur.

Quid est caussa finalis?
R. Est id, cujus gratia aliquid fit; ut finis belli

jam ut his Consulibus prætor esset, quibus, si non adjuvantibus, at conniventibus certe, sperasset se posse rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus, &c.

Denique ex quatuor illis caussis simul junctis commendare poteris celeberrimum templum Jerosolymitanum. Caussa efficiens erit Salomon, sapientissimus idem atque ditissimus, & alii peritissimi artifices, qui in illo elaborarunt. Caussa materialis erunt pretiosi lapides, ligna cedrina, aureæ laminæ, &c. Caussa formalis erit ipsa structura, & pulchritudo templi. Finalis erit summi Dei cultus, in cujus honorem fuit extructum.

§. X. Effecta.

Quid sunt Effecta?

R. Effecta, seu effectus sunt ea, quæ oriuntur ex caussis. Hunc locum mirifice tractat Tullius libro de Senectute, ubi funestos voluptatis effectus ita describit:

Voluptatis incommoda ab effectis.

Accipite optimi adolescentes veterem orationem (a) *Architæ Tarentini, magni in primis & præclari viri, quæ mihi tradita est, cum essem adolescens* (b) *Tarenti cum Quinto Maximo. Nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis, hominibus dicebat a natura datam: cujus voluptatis avidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur.*

Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat: nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido

(a) *Architas Philosophus Pythagoricus, vixit tempore Platonis.* (b) *Tarentum urbs magnæ Græciæ, a Tarante Neptuni filio condita.*

libido voluptatis impelleret: Stupra vero & adulteria & omne late flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate. Cumque homini sive natura, sive quis Deus, nihil mente praestabilius dedisset; huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiae locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere .... Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem.

§. XI. Comparatio.

Quid est Comparatio?
R. Est (a) oratio, qua duo, vel plura in tertio aliquo conferuntur, quod illis commune est; ut, *Catoni licuit sequi bellum civile; igitur & Ciceroni licebit*. Commune est enim ambobus sequi bellum civile.

Quot sunt Comparationum genera?
R. Tria. Primum est a majori ad minus. Secundum est a minori ad majus. Tertium est a pari.

Quomodo argumentamur a Comparatione majoris ad minus?
R. Cum contendimus, ut id, quod valet in majori; valeat etiam in minori; ut cum ait Cicero in Antonium: *Quid faceres domi tua, cum aliena tam sis insolens?* Sic etiam Terentius: *Quem feret, si parentem non fert suum?* Ex hoc eodem loco probat Ovidius leniri posse Augustum, quod vel ipsi Dii leniantur:

Cur ego posse negem leniri Cæsaris iras,
Cum videam mites hostibus esse Deos?

Quomodo fit argumentum a Comparatione minoris ad majus?
R. Quando contendimus, ut quod valet in minori, valeat etiam in majori; ut Cicero pro

H 2 Lege

(a) *Cic. in Topicis.*

Lege Manilia : *Majores nostri sæpe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt : vos tot Civium Romanorum millibus uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?* Huc pertinet etiam Horatianum istud Epist. 2.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris?

Quomodo fit argumentum a Comparatione parium?

R. Fit, cum contendimus, id, quod valet in una re, valere etiam debere in alia pari; ut, lex est, qui occiderit patrem, insutus in (a) culeum dejiciatur in profluentem: ergo & qui matrem occiderit, eodem supplicio dignus est. Ita Cicero licere sibi Syllam defendere, qui fuerat ante ab Hortensio defensus, probat orat. pro L. Syll. *Si conjuratio patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi. Quem quum videas honore hoc, auctoritate, virtute, consilio præditum non dubitasse, quin innocentem Syllam defenderet: quæro, cur, qui aditus ad caussam Hortensio patuerit, mihi interclusus esse debuerit? Quæro illud etiam, si me, qui defendo, reprehendendum putas esse; quid tandem existimes de his summis viris, & clarissimis civibus, quorum studio & dignitate celebrari hoc judicium & ornari, caussamque defendi hujus innocentis vides?*

CAPUT II.

De Locis extrinsecis, seu remotis.

Q*Uinam sunt Loci extrinseci?*

R. Loci extrinseci, qui etiam vocantur re-

(a) Ital. *Otre, sacco di cuojo.*

remoti & assumpti; sunt ii, qui nullo modo pendent ab arte ingenioque Oratoris, ut excogitentur, quique extra rem ipsam positi sunt; quapropter ab Aristotele recte vocantur (a) *Argumenta inartificialia, seu arte carentia*, non quod artis omnino sint expertia, cum potius illorum tractatio summum requirat artificium, sed quod non eruantur ex rebus ipsis & ex caussæ visceribus: quippe quæ foris eruuntur, & auctoritate sola nituntur, itaque sunt inartificiosa, quod attinet ad Inventionem; non vero quod spectat ad usum atque tractationem.

Quot sunt Loci extrinseci?

R. Sex assignantur a Quintiliano; Leges, seu Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta Testes.

Quomodo argumentandum est a Legibus, ac Præjudiciis?

R. 1. Dices, præjudicia ac leges esse vincula reipublicæ, regnorum fundamenta, justitiæ nervos, omnis æquitatis fontem, libertatis asylum, sapientiorum virorum oracula. 2. Commendabis eos, a quibus latæ sunt leges. 3. Recensebis damna, quæ consequentur, si leges impune violentur. Juvabit interdum afferre ipsa legis verba, conceptamque ac solemnem formulam; v. gr. *Si quis hominem dolo malo morti* (b) *duit, parricida esto.*

Si lex tibi adversetur, illam ita refutabis, & infringes: Dices 1. vel antiquatam fuisse legem & amplius non valere. Ita Cicero pro Rabirio: *Tune mihi etiam legis* (c) *Porciæ mentionem facies?* 2. Vel legem legi oppones, 3. Vel dices standum esse non legis litteræ, quæ

(a) Τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν. Rhet. lib. 5. c. 2.

(b) *Vox obsoleta pro* det.

(c) *Lex Porcia a M. Porcio lata contra res, qui civem Romanum necabant, aut virgis cædebant.*

nimirum occidit, sed ipsius legislatoris menti e-
4. Dices majoris cujuspiam utilitatis gratia, licere interdum a legibus discedere. Sic olim cum Virgilius moriens, testamento jussisset suum poema comburi, supremæ huic illius voluntati (quamquam id leges jubent) noluit tamen obtemperari Imperator Augustus, ut ipsemet testatur hisce versiculis:

Frangatur potius legum veneranda potestas;
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies.

Quid est Fama, seu Rumor?

R. Fama, ut hic accipitur, est sermo vulgi, sine ullo auctore ac capite dispersus; seu, ut ait Quintilianus, est *Sermo multitudinis, qui habet auctoritatem, nisi irrepserit malitia, vel nimia quadam, ut fit, credulitas.*

Quomodo tractandus est locus a Fama?

R. Si tibi caussæque tuæ faveat fama, dices magnam esse vim atque auctoritatem Famæ, cui optimus quisque tam impense studet. Dices populi vocem esse quoddam quasi oraculum, quod vix umquam fallere possit. Usurpabis in primis aureum illud Plinii dictum ad Trajanum: *Singuli decipere, ac decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.*

Contra vero, si tibi, caussæque tuæ rumor adversetur, erit amplificanda verbis Famæ levitas atque inconstantia, quæ sæpe viris integerrimis maculas amet aspergere. Dices, ex opinione magis, quam ex veritate res æstimari solere. Usurpabis auream Senecæ, opinor, sententiam: *Pessimi argumentum turba est.* Dices illud Juvenalis Sat. 1.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Addere denique poteris de fama cum Virgilio Æneid. 4. & cum Tertulliano etiam, in Apologetico, quod nimirum sit

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

Ita

Ita Tullius pro Plancio judices obsecrat, ne disseminatis rumorusculis fidem habeant: *Illud unum vos magnopere ore atque obsecro, cum hujus, quem defendo, tum communis periculi caussa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis...... Nihil est tam volucre, quam maledictum; nihil facilius omittitur; nihil citius excipitur; nihil latius dissipatur.*

Quid sunt Tabulæ?

R. Nomine Tabularum intelliguntur omnia testimonia scripto exarata, quibus pacta conventa, contractus, codicilli, stipulationes, testamenta, & alia id genus continentur.

Quid est Jusjurandum?

R. Est affirmatio, vel negatio rei alicujus, ritu religioso facta, & Deo Optimo Maximo in testem appellato. Sic olim Scipio apud Livium, lib. 23. *Si sciens fallo, tu me Jupiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam pessimo* (a) *loco afficias*. Quod si forte juramenti fidem velis infirmare, dices cum eloquentissimo illo (b) Massiliæ Sacerdote Salviano; *Plures invenias qui sæpius pejerent, quam qui omnino non jurent*. Et rursus idem Salvianus libro 4. *Si pejeret Francus, quid novi facit? Qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis.*

Quid sunt Tormenta, sive quæstio?

R. Sunt cruciatus, vi quorum veritas extorquetur a Reis. Valet autem plurimum locus ille ad faciendam fidem, si post quæstionem reus in facti confessione perseveret. Facit item maximopere ad probandam ejus, qui accusatur, innocentiam, si tormentis adduci non potuit, ut crimen fateretur.

(a) Letho, *ita lapides antiqui.*

(b) *Salvianus scriptor eloquentissimus, Treviris natus, floruit Massiliæ sæculo quinto.*

Quomodo infirmari poterit locus ille?

R. Dices periculosam esse fallacemque confessionem, quæ tormentorum vi exprimitur; quandoquidem compertum est, bene multos innocentes vi tormentorum ac metu doloris, sed falsa dicenda persæpe fuisse adactos; poterisque hoc loco usurpare sapientissimam illam viri clarissimi Hugonis (a) Grotii sententiam: MENTIETUR *qui ferre poterit*; MENTIETUR, *qui ferre non poterit*. Ita etiam Cicero pro Sylla: *Quæstiones*, inquit, *servorum, ac tormenta nobis accusator minitatur, in quibus quamquam nihil periculi suspicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque, cum animi, tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tantis rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur.*

Quid sunt Testes?

R. Sunt qui de re, quæ vocatur in controversiam, voce, vel scripto testimonium ferunt. Accedit huic testificationi majus pondus atque auctoritas: 1. Si testes sint oculati: 2. Si sint jurati: 3. Si sint viri probi atque integerrimi: 4. Si sint viri illustres ac primarii: 5. Si nulla nec spe, nec cupiditate impulsi testimonium dicant.

Porro Testimonium potest esse vel humanum, vel divinum. Humanum est illud, de quo supra dictum est. Ad divinum referebantur cum Oracula, seu voces Dei ipsius; Auspicia, seu Auguria, quæ erant testimonia ex avium volatu, cantu, pastuque duci solita; Vaticinationes, quæ erant responsa Vatum; Responsa denique Sacerdotum & Haruspicum: qui vel interpretabantur somnia, vel ex extorum inspectione futura conjiciebant; unde vocabantur *Conjectores*. Ad divinum humanumque Testimonium spectat vulgaris illa, sed egregia Lucani sententia de Cæsare ac Pompejo:

.... Quis

(a) *Hugo Grotius Batavus, vir summa & exquisitissima litteratura, obiit anno 1645.*

... Quis justius induit arma.
Scire nefas. Magno se judice quisque tuetur.
Victrix caussa Diis placuit; sed victa Catoni.

Quomodo infirmatur locus a Testibus?

R. Infirmabitur locus ille, si dicas, Testes esse homines vel infames, vel leves ac futiles, vel servos, domesticos, amicos, aut quomodocumque suspectos. 2. Si ostendas, illos non secum ipsis cohærere, sed pugnantia loqui. 3. Si graviores Testes illis opponas. 4. Si conjecturis & argumentis, illorum testimonii futilitatem demonstres. 5. Denique si dicas, Testes illos esse homines infimæ sortis, atque egentissimos, qui facile subornari potuerint.

CAPUT III.

De secunda Inventionis parte, seu de motibus excitandis.

ORatoris munus ac partes sunt primum; ut persuadeat, doceatque audientium animos; deinde ut eosdem moveat, inflammet ac flectat. Diximus in prima hujusce libri parte de argumentis ad docendum & ad fidem faciendam idoneis. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut motuum, sive affectuum concitandorum fontes aperiamus; dicamusque qua ratione faces ac stimuli sint auditorum animis subjiciendi, quod est in Oratore præcipuum. Siquidem homines affectu magis, quam ratione ducuntur, & quod approbant bonum, non semper amplectuntur, exemplo Medeæ illius Ovidianæ (a):

... Video meliora, proboque;
Deteriora sequor...

(a) *Metamor. lib. 7.*

Sed antequam affectus omnes sigillatim persequamur, pauca quædam, ut fit, de illorum natura numeroque præmittamus.

Quid est Affectus?

R. *Est animæ sentientis, ex opinione boni, vel mali nata, commotio*. Vel, ut clarius dicam, *est quidam animi impetus, quo impellimur vehementius ad aliquid vel appetendum, vel aversandum*.

Quot sunt Affectus?

R. Sunt qui cum Stoicis, quatuor tantum statuunt affectus; duos circa bonum, nempe *spem & gaudium*: & duos circa malum, scilicet *tristitiam & metum*. Quatuor hosce motus eleganter expressit Virgilius Æneid. 6. cum ait: *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque*. Eosdem (a) Boethius hisce quatuor versiculis est complexus:

Gaudia pelle;
Pelle timorem:
Spemque fugato;
Nec dolor adsit.

Philosophi vero longe plures statuunt affectus, de quibus ita dicemus, ut primo illorum definitionem afferamus, deinde, quomodo sint excitandi, quam accuratissime præcipiamus.

§. I. De Amore, & Odio.

Quid est Amor?

R. Est affectus, quo alicui bene volumus, eique benefacimus, non nostra, sed illius caussa. Ubi vides tres omnino esse germani amoris conditiones ac dotes. 1. Est ut ei, quem amamus,

(a) *Severinus Boethius, ingenio, eruditione & poesi nobilis, capite truncatus a rege Theoderico anno 626.*

mus, optemus bona, vel saltem quæ bona esse arbitramur. 2. Conditio est, ut quæ bona judicamus, non optemus illi dumtaxat, sed etiam pro virili parte procuremus. Ut enim ait Julius Scaliger:

Tu si ex animo forte velis (a) cui benefactum,
Addas operam: sola cadaver est voluntas.

3. Conditio est, ut ita simus animati non propter propriam utilitatem, sed illius caussa, quem diligimus. *Nam*, ut ait (b) Cicero, *si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus; non erit ista amicitia, sed mercatura quadam utilitatum suarum.*

Quid differt Amor ab Amicitia?

R. Differt, quod sit verus amor, etsi qui amat non redametur; in amicitia vero requiritur amor mutuus. Unde Aristoteles rogatus quid esset amicus, pulchre respondit: (c) *Anima una in duobus habitans corporibus.*

Quo pacto conciliandus est Amor?

R. Amoris conciliandi caussæ ac viæ præcipuæ sunt: 1. Excellens quædam & rara virtus. Ita Ilioneus Trojanorum Orator præclaram Æneæ virtutem collaudando, Didonem illi conciliare conatur, Æneid. 1.

Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis.

2. Utilitas, & collata beneficia. Ita Cicero Miloni benevolos mirifice facit judices ab ejus in patriam beneficentia: *Hiccine vir patriæ natus, usquam nisi in patria morietur?* &c. Sic etiam ventorum rex Æolus, commemoratis Ju-

 nonis

(a) Cui *pro* alicui.
(b) 1. *De Natura Deorum.*
(c) *Μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα.*

nonis erga se beneficiis, suum erga illam gratum ac memorem animum testatur; (a)

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra; Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

3. Nulla re magis comparatur amor, quam amore mutuo, ut monet pervulgata illa Senecæ vox: *Si vis amari, ama.* 4. Denique conciliatur amor oris ac corporis dignitate; si sit cum virtute conjuncta; unde rex Evander apud Virg. lib. 8.

... Sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ conjungere dextram.

Quid est Odium?

R. Est affectus animi adversantis id, quod malum esse putatur.

Quanam arte concitandum erit Odium?

R. Ex iis, quæ de amore diximus, facile cuivis patebunt Odii fontes, quod erit a contrariis capitibus excitandum, nimirum ab insignibus vitiis, ab improbitate superbiaque, ab illatis injuriis. Cujus rei mirificum habes exemplum apud Cornelium Tacitum in Agricolæ vita; ubi magnanimus ille Galgacus suorum Britannorum animos adversus Romanos hac eximia oratione irritare conatur.

Galgaci oratio contra Romanos apud Tacitum.

Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. Si locuples hostis

(a) *Æneid.* 1.

hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus Imperium; atque ubi solitudinem faciunt, Pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura charissimos esse voluit: Hi per delectum alibi servituri auferuntur. Conjuges sororesque, etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum: Corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur. Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit, &c.

§. II. De Metu, Spe, & Audacia.

QUid est Metus, sive Timor?

R. Est perturbatio nata ex opinione mali impendentis.

Quanam sunt artes & industria concitandi metus?

R. Tres sunt potissimum: Prima est, si denuncietur malum aliquod magnum ac grave, ut bellum, pestilentia, pauperies, infamia, infelix æternitas. 2. Si ostendatur mali vicinitas, imminensque periculum: neque enim solent homines metuere vel ipsam mortem, si longe remotam arbitrentur; at illius horrore concutiuntur, ubi urget morbus, pestilentia, vel naufragium:

Præsentemque viris intentant omnia mortem:

Hac arte mirabiliter, suo more, utitur Tullius in 2. Catilin. ubi funesta Catilinæ consilia & impendentes urbi calamitates ita describit; *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum*

rarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem. Cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium. Versatur mihi ante oculos aspectus (a) *Cethegi in vestra cæde bacchantis. Quapropter de summa salute vestra, Populique R. de vestris conjugibus ac liberis, de fanis ac templis, de libertate ac salute Italiæ, deque universa republica decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter.*

Eadem arte Æneas Anchisem patrem humeris gestans, apud Virgilium lib. 2. timorem suum sic exponit ab imminentis calamitatis magnitudine:

Succedoque oneri: dextræ se parvus Julus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis:
Pone subit conjux: ferimur per opaca locorum;
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji;
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique onerique timentem.

3. Concitandi metus industria, & ars hæc est, si proponatur malum, non publicum dumtaxat & commune, sed privatum & proprium. Solent enim nos privata multo magis tangere, & acriori doloris sensu ferire quam publica: etsi homines vulgo videri malint publico potius dolore moveri, quam suo.

Hoc probe intellexerat olim nobilis ille Græcus histrio, nomine Polus, qui Athenis acturus fabulam Sophoclis, cum repræsentandus esset dolor Electræ gestantis cineres Orestis, clanculum eruit e sepulchro cineres, ossaque filii, quem amaverat unice, urnamque detulit in scenam, & cum lugere videretur aliena mala, deflebat sua. Ita A. Gellius lib. 7.

Quid

(a) *Cethegus unus e principibus conjurationis Catilinariæ.*

Quid est Spes?

R. Est gaudium ex opinione imminentis boni.

Quanam sunt incitamenta, animum ad Spem erigentia?

R. Hæc duo numerantur: 1. Honestas, & magnitudo boni: 2. præsidia certa ad illud comparandum, qualia sunt opes, vires, industria, prudentia, amici, adversariorum imbecillitas & favor divinus. Hinc Tullius Romanos ad certam victoriæ spem excitat sane luculenter 3. Catilin. *Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias, vestra præsidia, vestrosque exercitus; & primum gladiatori illi confecto & saucio, Consules, Imperatoresque vestros opponite, deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, & robur educite.* Hinc etiam Æneas suorum animos mirum in modum erigit, & bene sperare jubet. Æneid. 1.

O passi graviora, dabit Deus his quoque finem;
Vos & (a) Scyllæam rabiem, penitusque sonantes.
(b) Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa
Experti; revocate animos, mœstumque timorem
Mittite; forsan & hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium; sedes ubi fata quietas
Ostendunt; illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Ad Spem pertinet Audacia, seu confidentia, quæ est affectus quidam animi adversus futurum malum, quamvis arduum ac difficile, quod tamen vinci possit, consurgentis.

Quomodo concitatur Audacia?

R. Iisdem ferme artibus, quibus Spes: Iræ ma-

(a) *Siciliam aut Ætnam.*
(b) Accestis *per* accessistis *per syncopen.*

magnanimus Hannibal, trajecto Rhodano, Italiam recta petens, suos milites hortatur, apud Livium Decade 3. ut obstructarum nivibus Alpium difficultates superent, Romanorumque vires contemnant: *Quid aliud Alpes esse creditis, quam montium altitudines? Fingite altiores Pirenæis: An terras aliquas Cœlum contingere, & inexpugnabiles humano generi esse creditis?* & alio loco: *Cum eo nimirum hoste res est nobis, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest; seu vicit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victis certamem.*

Hac eadem ratione audax Turnus suorum Latinorum animos ad pugnam accendit, Æneid. 10.

In manibus Mars ipse, viri; nunc conjugis esto
Quisque suæ tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudesque: ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima;
AUDENTES fortuna juvat.

Multum etiam addit fiduciæ persuasio de favore divino. Hinc illa Tolumnii Auguris audacia, Æneid. 12.

Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi.
Accipio, agnoscoque Deos: me me duce ferrum
Corripite, o Rutuli . . . .

§. III.

§. III. De Misericordia.

Quid est Misericordia?

R. Est dolor animi & ægritudo quædam ex malo alterius, præsertim immerito laborantis. In hoc excitando commiserationis affectu triumphare solet magni Oratoris industria. Siquidem, ut vulgo dicitur, *Lacrymæ auditorum sunt laus Oratoris vel maxima.*

Quænam sunt artes ad misericordiam concitandam idoneæ?

R. Variæ ac multiplices sunt artes. Prima est, si qui malum patitur, eo plane indignus esse dicatur. Unde ad ciendam misericordiam valet hoc Virgilii: (a)

Nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

2. Est, si de patria, vel de nobis privatim bene meritus fuisse ostendatur. Hoc artificio mire usus est senior Horatius apud Livium, ut filium, ob interfectam sororem, parricidii reum, ab imminenti morte liberaret.

Oratio P. Horatii ad populum pro Filio parricidii reo. Livius lib. 1.

Hunccine, quem modo decoratum, ovantemque victoria, incedentem vidistis, Quirites, cum sub furca vinctum inter verbera, & cruciatus videre potestis? Quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ Imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnude liberatoris hujus urbis: Arbori infelici suspende: Verbera, vel intra (b) *Pomœrium, modo inter illa pila; & spolia hostium: vel extra Pomœrium, modo inter*

(a) *Æneid.* 1.
(b) Ital. *Spazio tra le mura, e l'abitato, &c.*

inter sepulchra Curiatiorum. Quo enim duceré hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta fœditate supplicii vindicent?

3. Ars est, si calamitatis magnitudo, vel diuturnitas, ceteræque hujusmodi circumstantiæ luculenter exponantur.

4. Ars hæc est, si tristia quædam recentis miseriæ signa, monimentaque ob oculos auditorum ponantur, ut cruentæ vestes, vel ipsum mortui cadaver, aut imago. Nam, ut monet Horatius ad Pisones:

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.....

Sic M. Antonius, qui postea Triumvir fuit, prolata Julii Cæsaris veste pugionibus ac gladiis perforata, sanguineque cruentata, Romanam plebem ita accendit, ut ad conjuratorum ædes inflammandas e vestigio provolaverit. Sic Clotildis Clodovæi filia dure & inclementer habita a marito Almarico Visigotorum rege; cum sudarium suo imbutum sanguine ad fratres suos Francorum reges misisset, (a) immane illud bellum excitavit, quo res Visigothorum penitus attritæ, deletæque fuerunt. Sic olim summus ille orator Antonius, cum defenderet Aquilium, in caussa peroranda, tunicam ejus diloricavit, ac discidit e pectore, & adversas senis cicatrices judicibus ostendit.

Sic etiam Æneam flectere Dido conatur apud Ovidium in Heroide, hac lamentabili sui imagine ac pictura:

Aspicias utinam quæ sit scribentis imago!
Scribimus, & gremio Troicus ensis adest.
Perque genas lacrymæ strictum labuntur in ensem,
Qui jam, pro lacrymis, sanguine tinctus erit.

§. IV.

(a) *Gregorius Turonensis, lib. 3. cap. 10.*

§. IV. De Ira & Indignatione.

Quid est Ira?

R. Dicere possem cum Horatio: *Ira brevis furor est*. Sed malo cum Aristotele sic illam definire: *Ira est sui, propter contemptum, ulciscendi cupiditas, cum dolore conjuncta*. Unde non maximopere differt ab odio, quod est *Ira quadam inveterata*.

R. Accenditur commemoratione illatæ injuriæ, si præsertim injuria sit cum contemptu conjuncta. Hinc nimirum apud Virgilium Æneidos. 1. tantopere effervescit Junonis ira contra Trojanos, ob spretam a Paride Trojano formam suam, & Hebem filiam Ganymedi Trojano postpositam:

—— Manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ;
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.

Et rursum in eodem libro suam iram sic exsuscitat eadem Juno;

Ast ego, quæ Divum incedo Regina, Jovisque
Et soror & conjux, una cum gente tot annos
Bella gero: Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

Quo quis vero est gloriæ appetentior, vel dignitate illustrior, hoc ob sui contemptum vehementius solet irasci. Cujus rei memorabile in primis est exemplum Narsetis Eunuchi, rei militaris gloria præstantissimi. Is enim post res fortiter gestas adversus Totilam Gothorum regem, cum, invidia quorumdam, a Justino Imperatore Italiæ præfectura fuisset exutus, atque etiam ab Impera-

trice

trice Sophia, impotentis animi femina, virulento hujuſmodi fuiſſet impetitus convitio: *Narſetem eunuchum ad penſa lanaſque cum feminis eſſe relegandum*; illud adeo acerbe tulit, *ut ſe telam brevi orſurum dixerit, quam Imperator, & Conjux, dum viverent, nulla vi, induſtriaque retexere poſſent*. Ac paulo poſt, evocavit in Italiam Longobardis, Imperatori magnam Italiæ partem ademit.

Quid eſt Indignatio?

R. Eſt dolor perceptus ob ſecundas res, bonaque alterius, qui hac felicitate judicatur indignus; ut apud Maronem Eclog. 1.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Eujuſmodi eſt etiam illud Eclogæ 8.

Mopſo Niſa datur: quid non ſperemus amantes?
Jungentur jam (a) gryphes equis, ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Quomodo ab invidia differt indignatio?

R. Hoc differt, quod indignatio ſit tantum in indignos, eo quod fruuntur bono, ut vel ex ipſo nomine liquet. Unde indignatio præſfert im ſuſcipitur ab his, qui ſunt viri probi, & honoris cupidi; quia boni ferunt indigne malos florere: & honoris ſtudioſi indignantur, immerentes anteferri ſibi. Invidia vero eſt erga bonos, & ſua felicitate dignos.

Quomodo concitatur indignatio?

R. Excitatur duplici modo. 1. Si vitæ prioris

(a) *Griphes genus ferarum omnino fabuloſum, cum alis, & capite aquilæ, & reliquo corpore leonino, vulgo* Griſo.

ris sordes, & vilitas cum præsentis temporis opibus, potentia, & arrogantia præsertim conferantur. 2. Si hominis, in quem indignamur, vitia cum viri, cui antefertur, virtutibus comparentur. Ex primo capite Tullius indignationem ita movet in Vatinium: *Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patior latere* . . . . Deinde commemorat, ut homo vilis & obscurus paulatim ad honores accesserit; tandemque illa subjungit: *Te cognati respuunt*, (a) *tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubescunt*, (b) *struma denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis jam se locis collocarunt*. Quasi nempe adeo sit impurus, ut vel ipsæ strumæ fœdum hominem aversentur.

Similiter Horatius indignationem concitat adversus Menam Pompeji magni libertum in hac Oda cedro linenda:

Licet superbus (c) ambules pecunia,
  Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram (d) metiente te viam
  Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
  Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic (e) triumviralibus:
  Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
  Et (f) Appiam (g) mannis terit:
Sedilibusque magnus in primis eques,
  Othone contempto, sedet,

Ex

(a) Ex eadem tribu. (b) Ital. *Scrofole*.
(c) *Menas, cum ab hero Pompejo defecisset ad Augustum, ab illo Tribunus militum fuit creatus*.
(d) *Via sacra sic dicta, quod ad Jovis templum & Capitolium recta duceret*. (e) *Judicia de servis, ac furibus exercebant tres judices, qui triumviri capitales dicebantur*. (f) *Via Appia Roma Brundusium usque pertingebat, nomen traxerat a Claudio Appio Cæco, qui eam muniverat*. (g) Ital. *Barberetti*.

Ex secundo capite vehementer indignatur Ajax apud Ovidium, quod Ulysses secum ausit de Achillis armis contendere:

.... Agimus, proh Jupiter, inquit,
Ante rates caussam, & mecum confertur Ulysses!
Præmia magna peti fateor: sed demit honorem
Æmulus Ajaci. Non est tenuisse superbum,
(Sit licet hoc ingens) quidquid speravit Ulysses.

§. V. De Mansuetudine.

Quid est Mansuetudo?
R. Mansuetudo, seu lenitas, ac clementia, est motus oppositus iræ: neque aliter definitur, quam *ira remissio, atque mitigatio.*

Quanam est ars concilianda clementia?
R. Mitigabitur ira, & conciliabitur mansuetudo, primo ingenua quadam culpæ confessione ac dolore. Ita Cicero Cæsarem, iracissimum licet, tamen Ligario placavit: *Ad judicem sic agi solet; sed ego ad patrem loquor: erravi, temere feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto; ut ignoscas oro: si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti.*

2. Facit ad placandam iram humilitas, & supplicis animi demissio, præsertim apud hostem magnanimum. Ut enim pulchre ait Ovidius lib. 3. Tristium;

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, dum jacet hostis, habet.

Addere poteris cum Virgilio tritum illud lib 6.

.... Romane, memento
Parcere subjectis & debellare superbos:

3. Ad

3. Ad deliniendam iram maxime sunt adhibendi, qui minus habent roboris, & quos de vi inferenda cogitare nulla est suspicio, cujusmodi sunt pueri, fœminæ, senes, sacrorum antistites. Ita legimus in sacris paginis, Davidis iram ab Abigail, iram (a) Artaxerxis ab Esthere fuisse repente mitigatam. Romana quoque historia testatur, Sabinarum interventu, Romulum inter & Tatium fœdus ictum fuisse. Item Volumnia & Veturia Martium Coriolanum, patriæ funestum bellum inferentem, a noxio proposito dimoverunt.

4. Facit plurimum ad iram molliendam, si scias, & captes molles aditus, & commoda fandi tempora; quale est tempus convivii, ludi, fausti alicujus successus, victoriæ, festivitatis ac lætitiæ publicæ; quo tempore solent homines ad mansuetudinem esse propensiores.

5. Si prudenter ostendas, quantum præstet mansuetudo cupiditati vindictæ; ut recte monet Juvenalis hisce versibus aureis Satyræ 13.

.... Quippe minuti
Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio; continuo sic collige quod vindicta
NEMO magis gaudet, quam fœmina.

6. Denique valet plurimum ad clementiam, si dicas, qui peccavit, non dedita opera, non dolo malo peccasse, nec id egisse, ut eum contemneret, quem habet iratum; sed vel incautum, vel errore humano deceptum, vel necessitate adactum peccavisse. Vide qua dexteritate locum hunc tractet Tullius ad Cæsarem M. Marcello placandum: *Atque hoc C. Cæsaris judicium, P. C. quam late pateat, attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato fuimus, nescio quo, reipublicæ misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum,* depre-

(a) *Artaxerxes in sacris codicibus dictus Assuerus*

deprecantibus vobis, reipublicæ conservavit; memet mihi, & item reipublicæ, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipso in consessu videtis. Non illos hostes induxit in curiam, sed judicavit a plerisque ignorátione potius, & falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum.

§. VI. De Æmulatione.

Quid est Æmulatio?

R. Est dolor ex aliena felicitate susceptus; non quod illi contigerit, sed quod nos illa careamus. Hinc liquet, Æmulationem esse in laude ponendam, & ad perdiscendum bonas artes plurimum valere. Sunt enim Æmulationi obnoxia, quæ maxime præclara, ut virtus, honores opes, doctrina, gloria &c.

Quid interest Æmulationem inter & Invidiam?

R. Æmulationem bonam esse, laudabilem; & honestam, quia nos excitat, ut ipsi quoque bona consequamur. Contra vero Invidia vitiosa est turpisque; quia id agit, ne alter bonis potiatur, ut ait Horatius:

Invidus alterius rebus macrescit opimis;

Quomodo excitari potest Æmulatio?

R. Excitatur majorum exemplo, nominis gloria & propositis illustrium virorum egregiis facinoribus. Ita Andromache Æneidos 3.

Quid puer Ascanius? Superatne, & vescitur aura?
. . . .
Ecquid in antiquam virtutem; animosque viriles
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?

Ita magnus ille Alexander cum ad Achillis tumulum adstitisset, ejus gloriam & felicitatem æmulatus, O *fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris!* Et ille historicorum princeps Thucydides, adhuc adolescentulus, cum forte suam historiam Herodotus legeret, ita gloriæ stimulis agebatur, ut lacrymas tenere non posset. Quo animadverso Herodotus ejus patri dixit: *Næ tu sane beatus es, qui filium habeas sic avidum gloriæ, & laudis appetentem.*

Concluditur doctrina de Affectibus generali præcepto.

Hactenus de Affectibus dictum est; in quibus illud generatim est observandum, quod apud Ciceronem (a) monet Antonius: *Ut omnes motus, quos Orator adhibere volet judici, in ipso Oratore impressi, atque inusti esse videantur. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, judex, si tu ipse id lente ferre videare: neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui, verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni, ignem concipere possit; sic nulla est mens tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesseris.*

Optime igitur monet Horatius in arte poetica:

.... Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent.

Finis Libri Secundi.

I AR-

(a) *Lib. 2. Orat.*

ARTIS RHETORICÆ

LIBER TERTIUS.

DE DISPOSITIONE.



Uid est Dispositio?

R. Dispositio definitur a Cicerone, *Rerum inventarum in ordinem distributio.*

Quanam est Dispositionis utilitas?

R. Non minus necessaria est Dispositio ad fidem faciendam & ad motus excitandos, quam instructio exercitus ad pugnam ac victoriam; quam in humano corpore conformatio membrorum, ad gratiam & venustatem; quam in ædificio lapidum cæmentique apta compositio, ad ædium opportunitatem, & elegantiam. Unde merito præcipit Horatius in arte poetica:

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Sane ordo ubi adest, res audiuntur libentius, audita intelliguntur facilius, & intellecta diutius inhærent. Si vero negligatur dispositio, fit nimirum monstrum illud ex variis animantibus conflatum, quod artis initio scite pingit idem Horatius. Fit quod eodem loco reprehenditur:

Velut.

Velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ .....

Quin nullum mihi videtur certius argumentum inscitiæ, hebetisque ac pinguis ingenii, quam cum ita incondita est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil secundum. Contra vero nullum majus indicium artis & industriæ, quam ordo. Quamobrem cum hactenus actum sit de Elocutione, & de Inventione, in quibus opus est in primis lepore atque ingenio; deinceps videndum de Dispositione, in qua una magis elucet Oratoris judicium atque prudentia.

Quisnam ordo servandus est in orationis dispositione, seu quanam sunt orationis partes?

R. Orationis partes vulgo quatuor assignantur: Exordium, Narratio, Confirmatio, seu Contentio, & Peroratio.

Hæc artificiosa dispositio videtur omnino naturæ consentanea. Satis enim novimus, vel ipsa duce natura, ubi quidpiam volumus impetrare, 1. conciliandos esse animos eorum quibuscum agimus, & hoc est Exordii munus: deinde exponendum esse illud quod petimus, & hoc est Narrationis; 3. afferendas esse rationes, quibus ostendatur illud concedendum nobis esse, & hoc efficit Confirmatio; denique preces addendas, aut alios motus adhibendos, quibus impelli vehementius auditorum animi possint, & hoc Peroratione consequimur.

Sunt qui non quatuor dumtaxat, sed sex omnino velint esse partes orationis, nempe Exordium, Divisionem, Narrationem, Confirmationem, Confutationem, & Perorationem; quas etiam ajunt indicari pervagatissimo isthoc versiculo:

Exorsus, narro, seco, firmo, refuto, peroro.

Verum, si recte res æstimare velimus, Partitio cum Propositione revocatur ad Exordium: Confutatio vero redit ad Confirmationem. Unde

 liquet,

liquet, quatuor tantum esse statuendas orationis partes, quarum duæ valent ad faciendam fidem, scilicet Narratio, & Confirmatio; reliquæ vero faciunt ad motus excitandos, videlicet Exordium & Peroratio. Nunc vero de partibus orationis singulatim videamus.

CAPUT PRIMUM.

De Exordio.

Quid est Exordium?

R. Exordium definitur a Tullio: *Pars orationis, auditorum animos idonee comparans ad reliquam dictionem*. Unde quod in humano corpore caput est, quod in ædibus vestibulum, hoc est Exordium in oratione. Atque adeo præcipua quadam cura diligentiaque, præ ceteris orationis partibus, est elaborandum, naturæ ipsius instar, quæ in fingendo, atque ornando capite potissimum desudare consuevit. Unde etiam Exordium *difficillima pars orationis* vocatur a Tullio.

Undenam sumpta est Exordii vox?

R. Est Metaphora a textoribus sumpta, qui proprie telam ordiri dicuntur, cum certa quadam lege fila collocant, & ordine illa componunt.

§. I. De variis Exordiorum generibus.

Quotuplex est Exordium?

R. Duplex. Aliud est justum ac legitimum, quod etiam temperatum appellatur: aliud est vehemens & abruptum, sive ex abrupto.

Quid est Exordium justum ac legitimum?

R. Illud est, quo auditorum animi artificiosa quadam verborum conciliatione præparantur.

Quid

Quid est Exordium ex abrupto?

R. Illud est, quo Orator, quasi quodam abreptus impetu, auditores repentino & inopinato motu percellit. Tale est celebratissimum illud Ciceronis Exordium in Catilinam: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra, &c.*

Quomodo fit Exordium ex abrupto?

R. Fit primo per licentiam, seu per liberiorem quemdam loquendi modum. Sicut apud Livium lib 23. Mutius Scævola deprehensus in Porsenæ castris, ita illum alloquitur ex abrupto: *Romanus sum civis: C. Mutium vocant. Hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est, quam ad necem fuit. Et facere & pati fortia Romanum est. Nec unus ego in te hos animos gessi: Longus post me ordo est idem petentium decus: Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo. Ferrum hostemque in vestibulo habes Regia. Hoc tibi juventus Romana bellum indicimus. Nullam aciem, nullum prælium timueris: uni tibi, & cum singulis res erit.*

2. Fit per indignationem & increpationem, ut cum apud Livium lib. 2. c. 21. Veturia filium (a) Coriolanum sic alloquitur: *Sine, priusquam complexum accipio, sciam, ad hostem, an ad filium venerim; captiva, mater ne in castris tuis sim? In hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, qua te genuit, atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo, & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? non cum in conspectu Roma fuit, succurrit: Intra ista mœnia domus, ac penates mei sunt, mater, conjux, liberique? Ergo ego, nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem?*

(a) *Martius Coriolanus plebis odio in exilium actus, patriæ bellum intulit.*

Quandonam usurpandum est Exordium ex abrupto?

R. Usurpatur potissimum vel in summa aliqua gratulatione & lætitia, vel in summa quapiam offensione, aut indignatione: quibus scilicet omnibus Orator extra se rapi videtur quodammodo.

§. II. De virtutibus ac vitiis Exordii.

QUæ *sunt Exordii dotes ac virtutes?*

R. Quatuor vulgo recensentur: *Proprietas, cura, verecundia, brevitas.*

In quo posita est proprietas Exordii?

R. In eo posita est, ut Exordium sit cum reliqua oratione conjunctum, tamquam caput cum corpore. 2. Ut sit ex re quasi natum, & ex ipsis caussæ visceribus ita depromptum, ut ex illius natura quodammodo videatur efflorescere. Contra vero vitiosum erit, si sit vulgare ac commune, hoc est, si caussis aliis, & fortasse etiam contrariis, possit accommodari: cujusmodi Exordia lepide comparantur (a) ephippio, quod equis bene multis accommodaretur, vel gladio Delphico, qui ad hunc modum factus fuit, ut eodem & sacras mactarent victimas, & supplicio nocentes afficerent.

2. Vitiosum erit Exordium, si sit commutabile, hoc est, si leviter mutatum, ab adversario possit usurpari. Si sit procul accersitum, longinsque petitum, vel si nihil ad rem pertineat. Quæ Exordia similiter se habent ac

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit.

Quale etiam fuit Exordium inepti illius caussidici, qui de lite inter duos vicinos acturus, Exordium petivit ab Adamo, vixque ad diluvii tempora tandem pervenit.

In

(a) Ital. *fella.*

In quo posita est Exordii cura?

R. In eo posita est, ut Exordium sit plenum dignitatis, sit accuratum & acutum, sit aptum verbis & instructum sententiis, & quod periti solent Architecti, *vestibula aditusque ad caussam faciat illustres*, inquit Tullius. Prima quippe Oratoris commendatio proficiscitur ab Exordio; quod si negligentius tractatum fuerit, reliqua omnia fastidiet & nauseabit auditor. Ut enim optime monet Fabius, pessimus sane videtur gubernator ille, qui e portu solvens, statim ad scopulos navem appellit. Caveat tamen Orator, ne, quod sæpe contingit, Exordii nimis picti & nimis artificiosi splendore ac concinnitate, (a) præstigiarum ac fraudis suspicionem auditoribus præbeat.

In quo consistit Exordii verecundia?

R. In eo consistit, quod Orator dicere incipiens, præ se ferat ingenuum illum pudorem; quem in Oratore summo L. Crasso tantopere laudabat Cicero. *Fuit enim*, inquit, *in L. Crasso pudor quidam, qui non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset*. Et ipse etiam L. Crassus de se sic confitetur lib. 1. de Oratore: *In principiis dicendi, tota mente, atque omnibus artubus contremisco*. Sciebat enim summus ille dicendi artifex & doctor, offendi solere auditorum animos, si Orator velut exultans sibique præfidens, ad dicendum accedat.

In quo posita est brevitas Exordii?

R. In eo posita est, ut Exordium reliquæ orationis magnitudini sit accommodatum, & ut inani verborum circuitione non producatur longius quam par sit. Neque enim profecto cubitali Pygmæi corpori caput giganteum, aut humili tugurio valvæ prægrandes ingensque vestibulum affigi debent. Quod si fiat, bellissime sane quadrabit in enormia id genus procemia facetum il-

(a) Ital. *traveggole*, *gabbamenti*.

lud Diogenis dictum ad (a) Myndios, qui suo oppidulo grandes & magnificas fores affixerant: *Viri Myndii, portas claudite, ne urbs exeat.*

Nolim tamen orationi nullum jungatur Exordium, ut olim in Areopago fieri solitum accepimus, ubi dicebant Oratores (b) *sine Exordio, sine affectibus, sine epilogo*, inquit Julius Pollux, & ut etiam a Xenophonte factitatum legimus, qui sic exorditur: *Darius, & Parisatis duos habuere filios.*

Nolim etiam orationi, ceteroqui longulæ, brevissimum, ut nonnulli solent, affigatur Exordium: neque enim ingentem Basilicam decent exiguæ fores; aut giganteo corpori Pygmæi caput, vel ingenti colosso globulus imponitur.

§. III. De variis Exordiorum fontibus.

VArii sunt fontes, unde derivari solet Exordium justum ac legitimum. Nos hic præcipuos indicabimus.

1. Exordium recte ducitur ab adjunctis personæ, rei, loci, ac temporis: atque hic erat fons notus ac familiaris Tullio, qui hinc ferme solebat exordiri. In oratione pro M. Cœlio exorditur a temporis insolentia: quippe die festo, contra quam fieri soleret, caussam dicere cogebatur. Exordium Milonianæ ducitur 1. a persona adversariorum, qui armati forum obsidebant: 2. a persona Pompeji judicis: 3. ab insolita judicii forma. Pro Rege (c) Dejotaro, ducit exordium ab angustiis loci, in quo habita fuit hæc oratio: *Moveor etiam ipsius loci insolentia* (inquit Tullius) *quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est*, (d) *dico*

(a) *Myndus oppidulum Cariæ, in Asia minori.*
(b) Ἄνευ προοιμίου, καὶ παθῶν, καὶ ἐπιλόγου.
(c) *Hæc oratio privatim habita in ædibus Cæsaris.*
(d) *Dejotarus Gallogræciæ rex, in bello civili Pompeji partes secutus, victorem Cæsarem cum excepisset hospitio, fuit accusatus, quod ei struxisset insidias,*

dico intra domesticos parietes, dico extra conventum & eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent, in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco .... Hanc enim, C. Cæsar, caussam si in foro dicerem, eodem audiente & disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Rom. concursus afferret? Quis enim civis ei regi non faveret, cujus omnem ætatem in populi Rom. bellis consumptam esse meminisset? Spectarem curiam, intuerer forum, Cœlum denique testarer ipsum ... Quæ quoniam angustiora faciunt parietes, auctioque caussa maximi debilitatur loco, tuum est, Cæsar, qui pro multis sæpe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

2. Ducitur Exordium a rotunda simplicique rei expositione, sine fuco & calamistris, & sine ullo in speciem artificio. Ita Cicero pro Ligario: *Novum crimen, C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit: Q. Ligarium in Africa fuisse.*

3. Ducitur Exordium a contrario, cum prima fronte ea videmur dicere, quæ caussæ nostræ sint omnino contraria, & adversariis faveant, ut scilicet eos sensim in nostram sententiam nihil minus cogitantes pertrahamus: in quo sane est artis & industriæ plurimum. Ita Alexander apud Curtium milites suos cohortaturus, ut secum audacter pergant ad extremas Indiæ partes, primo videtur probare illorum studia, qui reditum in patriam cogitabant: *Magnitudinem rerum*, inquit, *quas gessistis, milites, intuentibus vobis, minime mirum est & desiderium quietis & satietatem gloriæ occurrere, &c.* Deinde mutata sensim versificatione, in contrariam sententiam callidissime descendit.

4. Ducitur Exordium ab insigni quopiam effato, & dicto, vel ab illustri exemplo: Ita Catilina suos conjuratos ad impium bellum adhortatur

apud Salluſtium hoc effato: *Compertum habeo; milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum imperatoris oratione fieri*. Ita etiam Cæſar, dum in Senatu pro Catilina loquitur, apud eumdem Salluſtium, ab inſigni effato ſic exorditur: *Omnes homines (P. C.) qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amentia, ira, atque miſericordia, vacuos eſſe decet*.

5. Duci poteſt Exordium ab inſigni aliqua quæſtione. Ita Tullius ſuum de Inventione Rhetorica librum auſpicatur: *Sæpe, & multum hoc mecum cogitavi, boni ne an mali plus attulerit hominibus, & civitatibus copia dicendi, ac ſummum eloquentiæ ſtudium*.

Eodem ex fonte ſuum in (a) Rufinum carmen ducit Claudianus:

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
. . . .
Abſtulit hunc nobis Rufini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injuſtos creviſſe queror. Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

6. Præclare admodum trahitur Exordium a ſuſpenſione, quæ mirifice præparat auditorum animos, magnæ alicujus rei expectatione; & illos acuit vehementi cupiditate ſciendi quid demum ſit illud, quod polliceatur Orator. Ita Cicero Verrina 1. *Quod erat optandum maxime, judices, & quod unum ad invidiam veſtri ordinis, infamiamque judiciorum ſedandam maxime pertinebat; id non humano conſilio, ſed prope divinitus, datum, atque oblatum vobis ſummo reip. tempore videtur. Inveteravit enim jam opinio pernicioſa Reip. vobiſque periculoſa: qua non modo Roma,* ſed

(a) *Rufinus Arcadii tutor affectat imperium, & a militibus occiditur.*

sed & apud cæteras nationes omnium sermone percrebuit, his judiciis, quæ nunc fiunt, PECUNIOSUM hominem, quamvis sit nocens, nullum posse damnari.

Denique Exordium ab ipsis caussæ visceribus, hoc est ab intimis caussæ principiis trahendum est, & in illo solerter jacienda sunt argumentorum & affectuum omnia semina, quæ deinde retractata, fusius explicentur. Id vero non difficulter efficies, si ex Fabii Quintiliani præcepto diligenter intuearis, apud quos, pro quibus, contra quos, quo loco, quo tempore, quo rerum statu dicendum sit tibi; quid auditores ac judices sentire credibile sit; quis sit orationis tuæ scopus; quid petas, quid consequi velis. Hæc omnia ubi perspecta mature fuerint tibi, ipsa te magistra natura facile docebit, unde sit tibi capiendum orationis Exordium.

§. IV. De Officio, ac munere Exordii.

Quodnam est officium, ac munus Exordii?

R. Triplex; ut nempe reddat auditorem benevolum, attentum, & docilem.

Unde reddet auditorem benevolum?

R. Ex quadruplici capite: 1. a persona Oratoris ipsius: 2. a persona adversariorum: 3. a persona auditorum, vel judicum: 4. ab illius, pro quo dicitur, persona.

Quomodo reddet auditorem benevolum a persona Oratoris ipsius?

R. Si Orator modestiam, pudorem, probitatem, & ingenuum quemdam candorem ore potius & reipsa præ se ferat, quam verbis ostentet. Poterit tamen interdum sua merita, suum officium, suas virtutes, sed parce omnino ac sine arrogantia commendare; quod mirifice facit Tullius in oratione pro Archia, suo quondam magistro: *Si quid est in me ingenii, judices, quod sen-*

tio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse, earum omnium rerum vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. Quod si hæc vox hujus hortatu præceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, & opem & salutem ferre debemus.

Quomodo colligetur benevolentia ab adversariorum persona?

R. 1. Si dicamus, nos nimiam illorum eloquentiam, aut gratiam revereri, unde illa reddatur suspecta judicibus: quod pulchre admodum facit Cicero pro Quinctio: *Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia; quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo.*

2. Si illos in odium & in invidiam adducere, vitiorum, quibus laborant, commemoratione conemur; ut pro Dejotaro: *Crudelem* (a) *Castorem, ne dicam sceleratum, & impium, qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiæque suæ terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri, & tegere debebat.*

Quod si adversarius sit vir bonus notæque probitatis ac fidei, Tullium imitaberis, qui cum pro Muræna diceret, Catonemque virum antiquæ virtutis haberet adversarium, non quidem in ejus vita

(a) *Castor Dejotari nepos ex filia.*

sa moribusque quidquam culpavit; sed tamen, ut illi quomodocumque fidem detraheret, sectam Stoicorum, cui se Cato totum addixerat, irridere cœpit: idque tam salse, tamque facete, ut judicium risu dissolveretur, & Cato ipse dixerit; *Quam* (a) *ridiculum habemus Consulem!*

Quomodo captabitur benevolentia a persona vel auditorum, vel judicum?

R. 1. Si eis confidere videatur Orator, ut pro Roscio Amerino. 2. Si suam causam cum eorum utilitate conjungat, ut passim in Philippicis. 3. Si eorum justitiam, fidem, auctoritatem & dotes ceteras modeste commendet, ut in Exordio Milonianæ, ubi Tullius Pompejum laudat a sapientia justitiaque, cum ait: *Sed me recreat, & reficit Cn. Pompeji sapientissimi & justissimi viri consilium, qui profecto nec justitiæ suæ putaret esse, quem reum sententiis judicum tradidisset, eumdem telis militum dedere; nec sapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.*

Imo ne ipse quidem Paulus Apostolus hoc sibi negligendum putavit, cum pro se ipse diceret apud regem Agrippam, Actorum Capite 25. *De his omnibus, quibus accusor a Judæis, Rex* (b) *Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, maxime te sciente omnia, & quæ apud Judæos sunt consuetudines & quæstiones. Propter quod obsecro patienter me audias.*

Quomodo paratur benevolentia a persona clientis, sive illius, cujus causa agitur?

R. Si illius innocentiam virtutemque commendes: si illius calamitatem, amicorum inopiam

(a) *Plutarchus in vita Catonis.*
(b) *Agrippa ultimus Judæorum Rex, filius illius Herodis Agrippæ, qui ab Angelo percussus fuit.*

piam & solitudinem conquueraris; ut Cicero pro Roscio Amerino.

Semperne laborandum est in exordio, ut captetur auditorum Benevolentia?

R. De captanda benevolentia non valde laborandum esse in caussis illis, quæ per se sunt honestæ, sed tantum in iis, quæ sunt vel paradoxæ, vel dubiæ, vel humiles. Quatuor enim caussarum genera distinguit Divus Augustinus in eximio suo libro de Rhetoricæ principiis; *Honestas, incredibiles, dubias, & humiles*, quæ ab illo vocantur ἔνδοξαι, παράδοξαι, ἀμφίδοξαι, ἄδοξαι.

In humili quidem argumento se se maxima nonnumquam exercuerunt & ostentarunt ingenia; ut olim Polycrates, qui murium panegyricum celebravit, & Lucianus, qui muscam laudavit. Inter juniores vero Majoragius scripsit encomium luti, Calcagninus, post Psellum, pulicem prædicavit, Scaliger anserem, Passeratius ipsum *nihil* laudandum suscepit, Umbram Janus Douza præconio celebravit: & nostra ætate vir Cl. Daniel Heinsius asinum pediculumque laudavit.

In his vero, aliisque id genus humilibus caussis, itemque in illis, quæ minus gratæ sunt auditoribus, opus est insinuatione, seu exquisitiore quadam arte, qua Orator subdole & latenter in auditorum animos irrepat.

§. V. De paranda attentione.

Undenam conciliatur attentio?

R. Conciliatur partim promissione, partim petitione: promissione quidem, si polliceamur nos esse dicturos de rebus vel novis, vel magnis, vel utilibus, vel jucundis. Ita Horatius Od. 1. lib. 3.

Carmina non prius
Audita, Musarum Sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

Sic

Sic enim in primis Cicero pro Rabirio; *Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam, rem nullam magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, nec a Tribuno plebis susceptam, neque a Consule defensam, neque ad populum R. esse delatam.* Hoc enim egregie præstitit Maro, quando de apibus dicturus, ita cecinit 4. Georg.

Protinus aerii mellis cœlestia dona
Exequar. Hanc etiam, (a) Mecœnas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque Duces, totiusque ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam,
In tenui labor, at tenuis non gloria.....

Nolim tamen montes, ut ajunt, aureos in ipso dicendi initio semper polliceatur Orator: nec sic incipiet, ut (b) Mævius ille, quem ridet Horatius:

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

Multoque sane cautius mihi videtur facere; qui cum Homero simpliciter & verende sic exorditur:

Dic mihi; Musa, virum captæ post tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.

Quam si magnificentius sic incipias cum Lucano:

Bella per Emathios plusquam civilia campos....

Aut si tumidum illud turgidumque imiteris Claudiani procemium *de raptu Proserpinæ:*

In-

(a) *Mecœnas apud Augustum gratiosissimus, poetarum patronus munificus.* (b) *Hic est ille Mævius, quem carpit Virg.* Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Junonis thalamos, audaci promere cantu
Mens congesta jubet.

Quod si satis appareat, rem, de qua agitur; esse abjectam & exilem, plus efficiet Orator, si totum se statim & ingenue profiteatur, sese in re omnino tenui laborare, quam si grandia nequidquam polliceatur: sed causæ tenuitatem æquitate, vel necessitate, vel aliunde compensare conabitur; ut Cic. Philippica 7. *Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur, P. C. de Appia via & de* (a) *moneta.*

2. Conciliandæ attentionis ratio est *petitio*; cum scilicet auditores rogamus, ut studiose ac diligenter velint attendere, ut Cicero pro Sexto Roscio: *Quapropter vos oro atque obsecro, judices, attente bonaque cum venia verba mea audiatis.*

Quamvis autem sub ipsum Exordium postulari soleat attentio, satius tamen erit interdum illam in ipso orationis decursu postulare, cum scilicet auditoris animus, initio arrectus & alacer, languescere incipit, & defatigatæ illius aures incipiunt peregrinari, ut solet. Hoc egregie præstitit Tullius pro Cluentio, dum sic ait: *Vos quæso, ut adhuc me attente audistis, item quæ reliqua sunt audiatis. Profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conventu, & silentio, dignum vestris studiis atque auribus esse videatur.*

Quomodo comparabitur docilitas?

R. Tribus maxime rebus: 1. Si brevem te fore promittas, stesque promissis. Ut enim eleganter & ingeniose monet Tullius, multo satius est, ut Orator desinat, quam si deficiat; & Auditor cum desiderio, quam si cum fastidio ac satietate recedat. Atque in Oratores nimis

(a) *Vel de templo Junonis Monetæ reficiendo, vel de pecunia cudenda.*

nis longos belle omnino quadrant ultima hæc artis poeticæ verba:

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris (a) Hirudo.

2. Comparabitur docilitas, si breviter, dilucide, simpliciterque proponas, qua de re dicturus sis.

3. Fiet docilis auditor, si tuam orationem in duo, vel tria ad summum capita perspicue partiaris; ut cum ait Tullius Philippica 7. *Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quæ tria dum explico, peto a vobis, P. C. ut eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis.* Sed quoniam permagni interest ad eloquentiam, quemadmodum proponat, & orationem suam partiatur Orator; & quia hic locus est in tota Rhetorica longe difficillimus, tyronibus præsertim; de utroque illo capite accuratius nobis esse disputandum arbitramur.

§. VI. De Propositione.

Q*Uanam sunt Propositionis virtutes, ac dotes?*
R. Quinque vulgo assignantur propositionis dotes. 1. est, ut simplex sit unaque, non vero multiplex. Ex illius enim unitate omnino pendet orationis unitas; semperque meminisse debet Orator eximii illius, numquamque satis inculcandi Horatiani præcepti:

Denique sit quodvis simplex dumtaxat & unum.

Quid est porro una simplexque propositio?

R. Una simplexque dicitur illa propositio, quæ constat una simplicique sententia, v. gr. *Pax est conficienda, Injuria sunt condonanda*, &c.

2. Pro-

(a) *Hirudo. Ital.* sanguisuga, *est pisciculus instar exigui serpentis, qui ad sugendum vitiosum sanguinem cuti solet applicari, nec avelli, nisi sanguine oppletus, potest.*

2. Propositionis dos est, ut sit ita clara, ut non modo nullo labore intelligatur, sed etiam ut non possit non intelligi; quemadmodum ista: *Otium est fugiendum*. 3. dos est, ut omnia totius orationis argumenta, partesque omnes in illam velut in scopum metamque collimeat. 4. dos est, uti tractari copiose & ornari facile possit, & amplam dicendi segetem suppeditet. Recte enim monet Horatius, ne jejunum dicendi sumas argumentum, *& quæ desperas tractata nitescere posse, relinquas*. 5. dos est, ut propositio vel ipsa novitate percellat, vel insigni aliqua utilitate placeat: quæ duo vel maxime conciliare solent attentionem atque benevolentiam.

Quomodo novitatem habebit propositio?

R. Si argumentum ita proponatur, ut ex trito vulgarique fiat inusitatum, & auditorum animos statim erigat feriatque; v. gr. trita est vulgarisque hæc propositio: *Homo multorum sibi malorum auctor est*, nihilque admodum dignum habet attentione. Fiet vero nova & admirabilis, si dicas cum Chrysostomo: *Nemo læditur, nisi a seipso*; vel *Nemo miser, nisi qui velit*. Item vulgaris est hæc propositio: *Mali aliquando sunt utiles virtuti*; itemque ista: *Mors minus dura accidit miseris, quam felicibus*. Fiet autem illico utraque nova mirificaque, si dicas, *Virtutem plus interdum improbis debere, quam probis: & Felicitatis genus esse infelicem mori*.

Quomodo utilitatem habebit propositio?

R. Utilitatem habere solent propositiones illæ, quæ contemplativæ non sunt, sed activæ (si duobus illis Senecæ vocibus nobis uti fas est.) Contemplativæ porro dicuntur illæ, quæ in sola cognitione versantur, quemadmodum ista; *Stultorum infinitus est numerus*. Activæ contra dicuntur propositiones illæ, quarum finis est aliquid efficere: ut, *Ferenda sunt amicorum vitia*.

§. VII.

§. VII. De Divisione.

Cur adhiberi solet in oratione Divisio, sive Partitio?

R. Tribus potissimum de caussis. 1. Quia lumen affert orationi. 2. Quia juvat memoriam Oratoris, & auditorum. 3. Quia levat audiendi fastidium; recreatur enim animus admonitione singularum partium orationis: quemadmodum viatorem reficiunt spatia certis lapidibus & intervallis distincta, ut ait (a) Rutilius in Itinerario:

Intervalla viæ fessis præstare videtur,
  Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Quænam sunt leges Divisionis?

R. Quatuor. 1. est, ut Divisio sit plena; hoc est, ut partes illius sive membra omnino complectantur, & adæquent propositionem, quæ dividitur. 2. est, ut membra illa sint opposita, neque unum in altero contineatur. 3. est, ut Divisio habeat partes duas, tresve ad summum, vix plures. Si enim nimium concisa sit, & ut loquitur Fabius, nimium articulosa, offundet orationi tenebras, parietque obscuritatem illam, contra quam fuit inducta. 4. dos est, ut sit plana, simplex & quasi obvia; non vero ad artis & ingenii ostentationem longius accersita.

De Narratione, quæ est secunda orationis pars, fusius & uberius dictum est in secundo capite Elementorum Rhetoricæ.

CA-

(a) *Rutilius natione Gallus, floruit seculo quarto. Scripsit Itinerarium versu supra hanc ætatem eleganti.*

CAPUT II.

De Confirmatione.

Quid est Confirmatio?
R. Est pars orationis, in qua firmamenta, seu robora caussæ afferuntur.

Quot sunt partes Confirmationis?
R. Duæ. 1. est Confirmatio proprie dicta; in qua ea, quæ pro nobis sunt, firmamus ac stabilimus. 2. est Confutatio, in qua contrarias adversariorum rationes refellimus. Hinc liquet, Confirmationem esse præcipuam ac potissimam Orationis partem, quæ quasi viscera, vitamque illius contineat, totamque persuadendi spem in ea maxime parte sitam esse. Unde πίστις, seu *fides* jure nuncupatur ab Aristotele.

§. I. De Confirmatione proprie dicta.

Quomodo tractanda est Confirmatio proprie dicta?
R. Per Argumenta & per Argumentationes.

Quid est Argumentum?
R. Est probabile inventum ad faciendum fidem.

Quid est Argumentatio?
R. Est argumenti fusior & artificiosa dilatatio.

Quid interest inter Argumenta, & Argumentationes?
R. Hoc interest, quod Argumentatio sit modus, sive ratio, qua argumentum tractatur; Argumentum vero sit ipsa argumentationis materia. Unde argumenta ex se jejuna sunt & imbecilla, nisi accedat artificiosa illorum explicatio.

Unde

Unde petuntur argumenta ad confirmandum idonea?

R. Petuntur a locis tum intrinsecis, tum extrinsecis, de quibus accurate dictum est a nobis lib. 2.

Quo ordine collocanda sunt argumenta in Confirmatione?

R. Firmiora partim in principio collocanda sunt, quia tunc vel maxime attendit auditor: partim in fine, quia quæ postremo dicuntur, altius inhærent: imbecilliora vero collocanda sunt in medio, ubi magis latebit eorum infirmitas: quemadmodum imbecilliores milites, qui fugam, audita buccina, circumspiciunt, in medium agmen cogi solent, ut qui per se parum possunt, turba valeant. At si caussa duobus tantum argumentis nitatur, quorum alterum validius sit, alterum infirmius, tunc imbecillius subjicietur quidem validiori, sed mox ad validius recurretur.

Quot sunt argumentationum species, seu quot modis tractari possunt argumenta?

R. Quatuor sunt præcipuæ species argumentationis: *Syllogismus*, seu *ratiocinatio*, *Enthymema*, *Inductio*, *Exemplum*. His adde *Soritem*, & *Epicherema*.

§. II. De Syllogismo.

QUid est Syllogismus?

R. Duplex distinguitur Syllogismus, seu ratiocinatio. Alius est Philosophicus, alius Oratorius. Syllogismus Philosophicus est argumentatio constans tribus propositionibus distinctis, & explicatis, quæ sic inter se connectuntur, ut concessis duabus primis, quarum altera major, altera *minor*, quia minus late patet, appellatur; necessario concedenda sit tertia, quæ *consequentia* dicitur; v. gr.

Omnis

Omnis ars honesta est amplectenda:
Rhetorica est ars honesta:
Ergo Rhetorica est amplectenda.

Syllogismus Oratorius est ratiocinatio constans quinque partibus, certo inter se ordine connexis; unde etiam vocatur *Syllogismus perfectissimus*.

Quænam sunt partes Syllogismi Oratorii?
R. Quinque numerantur. 1. est *Propositio*: 2. *Propositionis probatio*. 3. *Assumptio*. 4. *Propositionis probatio*. 5. *Conclusio*. Habes insigne quoddam Syllogismi Oratorii exemplum in libro 1. de Inventione, ubi luculenter demonstrat Cicero, Divina providentia mundum gubernari. Sed quod exiliter & jejune dixisset Philosophus in hunc ferme modum: *Illud Divina providentia administratur, quod optime administratur: sed mundus optime administratur: igitur mundus divina providentia administratur:* id ipsum Tullius oratorio more ita pertractat:

Melius accurantur quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur. Et hæc est Propositio.

Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, & apparatior, quam ea quæ temere, & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia & temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore utitur. Et hæc est Propositionis probatio.

Nihil autem omnium rerum melius quam mundus administratur. Et hæc est assumptio.

Nam & signorum ortus & obitus definitum quemdam ordinem servant; & annuæ commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, & diurnæ nocturnæque vicissitudines nulla in re unquam mu-

nata quidquam nocuerunt. Et hæc est assumptionis probatio.

Qua signa sunt omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quæ est Complexio, sive Conclusio.

Semperne constat quinque illis partibus Syllogismus oratorius?

R. Nequaquam. Si enim perspicua sit vel Propositio, vel Assumptio, tunc omittitur illius Probatio; & ita fit Syllogismus quadripartitus. Quod si etiam perspicua videatur utraque, tunc probatione nihil opus erit, & ita tripartitus fiet Syllogismus.

Quid vero intererit inter Rhetorem, & Philosophum, si uterque tripartitum Syllogismum adhibeat?

R. Hoc intererit, primo quod Philosophus ea maxime quærat argumenta, quæ possint scientiam, aut certam opinionem efficere: Rhetori vero sufficiant, ut plurimum, probabilia. Alterum discrimen est in argumenti tractandi ratione positum. Philosophus enim tres propositiones ordine collocat, quem ordinem *formam* appellant: Rhetoris vero industria in eo posita est, ut propositiones illas invertat, amplificet, verbis ornet, figuris illuminet, artem denique totam diligenter tegat. Hinc acute admodum ajebat (a) Zeno Philosophus; *Logicam, seu dialecticam similem esse pugno, seu manui complicatæ; Rhetoricam vero palmæ, seu manui explicatæ, atque exporrectæ similem esse*.

Nunquamne logicus & naturalis servatur ordo in Syllogismis oratoriis?

R. Servatur aliquando non solum ab Oratoribus, verum etiam, quod mirum sane videatur, ab ipsis Poetis, ut illo Persii exemplo, Satyra 5.

An

(a) *Zeno Stoicorum inventor & princeps, floruit post Alexandri M. mortem.*

An quisquam est (a) alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? Licet, ut volo, vivere; non sum
Liberior Bruto?

Qui profecto integer est Syllogismus, & ordinem eum plane servat, qui tradi solet a Logicis. Sic enim hoc loco dialecticum prorsus in morem argumentatur Persius:

Nemo magis liber est quam is, cui licet ducere vitam ut vult:
Atqui mihi licet ducere vitam ut volo:
Ergo liber sum, & ipso etiam Bruto liberior;

§. III. De Enthymemate.

QUid *est Enthymema?*
R. Est pars Syllogismi, seu Syllogismus imperfectus.

Quot partes habet Enthymema?
R. Duas; quarum prima vocatur a Logicis *Antecedens*, alia *Consequens*: v. g. *Omnes artes sunt expetendæ. Ergo eloquentia est expetenda.*

Hinc est quod Enthymema jure optimo *curtum* vocatur a Juvenali Sat. 6. in mulieres:

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit;
(b) Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat Enthymema, nec Historias sciat omnes;

Vocatur, inquam, curtum, quod fit argumentatio quasi mutila, & una propositione veluti truncata; quæ si addatur, fiet integer Syllogismus.

Quomodo fit Enthymema?
R. Fit omittendo vel propositionem, vel assum-

(a) *Perfectus in Poeta Syllogismus.* (b) *Non loquatur ex arte & secundum præcepta Rhetoricæ.*

sumptionem, seu ut Logici loquuntur omittendo *majorem*, vel *minorem*; v. gr. *Clodius insidias struxit Miloni: ergo Clodius jure fuit occisus*; vel *Quicumque alteri struit insidias, jure ab illo occiditur: ergo Clodius jure fuit occisus a Milone*.

Unde nomen suum traxit Enthymema?

R. Ἀπό τοῦ ἐνθυμεῖσθαι, quod est *mente concipere*, *cogitare*, quod scilicet tertia propositio, quæ verbis non effertur, mente retineatur.

Quodnam est optimum Enthymematis genus?

R. Illud est, quod fit a contrariis, cujusmodi est apud Sallustium illud (a) Micipsæ ad (b) Jugurtham: *Quem alienum fidum invenies, si tui hostis fueris?* Erit etiam acutius ac validius Enthymema, si fiat per interrogationem. Tale est illud Medeæ apud Senecam:

Servare potui. Perdere num possim rogas?

Cur Enthymemate magis gaudere vulgo dicitur Orator quam Syllogismo?

R. Tribus de caussis. 1. Ut occultet artificium, quod scilicet agnitum, caussæ magis obest, quam prodest. Hinc etiam cum utitur Syllogismo, partes ejus fere transponit. 2. Ne videatur auditorum ingeniis diffidere; quasi necesse sit omnes Syllogismi partes sigillatim exprimi. 3. Quia Enthymema validius percellit adversarios; illosque (c) punctim, ut ajunt, cæsimque ferit. Unde *jaculum ac telum Oratoris* vocari solet. Vide quo modo Tullius Enthymemate feriat Antonium: *Pacem vult Antonius? arma ponat*: quasi si diceret: *Non arma ponit Antonius; ergo non vult pacem*.

K §. IV.

(a) *Micipsa patruus Jugurthæ, & Massinissæ filius.*
(b) *Jugurtha Numidarum rex a Pompejo victus.*
(c) Ital. *Di punta, e di taglio.*

§. IV. De Inductione.

Quid est Inductio?

R. Est argumentatio, qua ex multis singularibus enumeratis aliquid concluditur. Ita Seneca variarum rerum enumeratione magnifica, concludit solam in homine virtutem esse laudandam: *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est; sed quæ stabilis est, firma, velox & consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est* (a) *baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui ad secandum subtilis est acies.* (b) *Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet quantum aret, a quam multis salutetur, sed quam bonus sit.*

Inductio non solum Oratoribus per familiaris est, sed etiam Poetis, & in primis Ovidio, qui illa majorem in modum delectabatur. Unum hic eximium afferemus exemplum, quo infelix ille Poeta, dum exularet in Scythia, uxoris suæ dolorem consolatur, Tristium lib. 4. probando per inductionem, asperas res gloriæ segetem & materiam esse.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple:
  Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
  Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua, (c) Tiphy, jacet, si non sit in æquore fluctus:
  Si valeant homines, (d) ars tua, Phœbe, jacet.

Sic

(a) Ital. *Cingolo, pendone*. (b) Ital. *Riga*.
(c) *Tiphys Argonautarum navis in expeditione Colchica gubernator*.
(d) *Apollo medicinæ inventor*.

Sic etiam apud Virgilium, Æneas probat per inductionem, viventi sibi iter ad inferos nequaquam interclusum esse debere.

Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus
Threicia fretus cithara, fidibusque canoris,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea magnum,
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Jove summo.

Quid observandum est in Inductione?

R. Duo diligenter cavenda sunt. 1. Ut quæ sumuntur, certissima sint. 2. Ut id, cujus confirmandi caussa fit inductio, iis quæ sumuntur simile sit.

§. V. De Exemplo.

QUid est exemplum?

R. Est inductio imperfecta, qua ab uno simili argumentamur ad aliud. Cujusmodi exemplum habes in Miloniana, ubi probat Tullius non esse condemnandum Milonem, quod Clodium occiderit, cum nec Horatius ob sororem necatam fuerit condemnatus. Sed vide quomodo exemplum illud illustret Cicero: *Negant intueri lucem esse fas, qui a se hominem esse occisum fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi R. Comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur.* Similiter apud Virgilium Æneid. 1. Juno furore percita concludit ab exemplo, licere sibi omnino in Æneam, & Trojanos, quod Palladi licuit in Ajacem & Argivos:

Pallas ne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei (a)?
. . . .
Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque
Et soror & conjux, una cum gente tot annos
Bella gero.

§. VI. De Dilemmate.

Quid est *Dilemma*?

R. Est argumentum constans duabus partibus contrariis, quæ utrinque adversarium capiunt. Unde etiam Syllogismus cornutus appellatur, quod nempe illius cornua sint ita disposita, ut qui unum effugerit, in alterum incurrat. Sic belle omnino probabis Dilemmate, quemvis dolorem æquo animo esse tolerandum: *Nam omnis dolor aut est vehemens, aut levis: si levis, facile feretur, si vehemens, certe brevis futurus est*. Ita Cic. Philip. 5. probat hoc Dilemmate non esse mittendos legatos ad Antonium: *Legatos decernitis. Si ut deprecentur, contemnet; si ut imperetis, non audiet*.

Hoc eodem argumentandi modo recte damnatur Lucretia illa, quæ a Sexto Tarquinio vi oppressa, sibi mortem intulit:

(b) Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter;
Immerita ex merita præmia morte capis.
Sin potius casto vis est allata pudori;
Quis furor est, hostis crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas, Lucretia: namque
Vel furiosa ruis, vel scelerata cadis.

Unde

(a) *Ob violatam Cassandram in Palladis templo ab Ajace Oilei filio. Alter erat Ajax filius Telamonis. Uterque fortis & furens.*

(b) *Renatus Laurentius in Comm. Tertull.*

Unde nomen suum traxit Dilemma?

R. Ab adverbio Græco δὶς, *bis*, & a voce (a) λῆμμα, *sumptio*, *captio*, quod nimirum utrinque capiat adversarium.

Qua ratione solvi potest Dilemma?

R. Duplici. 1. Si universum Dilemma torqueas in ipsum auctorem: cujusmodi exemplum affert Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum: *Sacerdos quadam maximopere dissuadebat filio, ne ad populum verba faceret; nam si injusta suaseris, inquiebat, habebis Deos iratos: sin vero justa, iratos habebis homines.* Hoc Dilemma sic in matrem ipsam torsit ingeniosus adolescens: *Immo*, inquit, *expedit ad populum verba facere. Nam si justa dixero, Dii me amabunt: si injusta, homines.*

Ejusmodi fuit etiam celeberrimum illud Dilemma, unde se expedire numquam potuerunt (b) Areopagitæ, qui licet mortalium sapientissimi vulgo haberentur, ortam tamen ex illo Dilemmate litem prorsus injudicatam reliquerunt. Cum enim in Protagoræ Rhetoris disciplinam se quidam adolescens tradidisset, grandemque pecuniæ summam illi ex pactione fuisset pollicitus, ea lege ut primam omnium, quam esset habiturus, litem obtineret: jam plene ac perfecte præceptis intimæ artis eruditus, mercedem omnino negat. Litem intentat illi magister: *Et debes*, inquit, *omnino mercedem, quo res cumque vertant. Si enim vicero, debes, ut condemnatus: si viceris, debes ex pacto. Immo*, inquit versipellis discipulus, *quo res cumque vertant, nihil habebis. Si enim caussam vicero, ex judicum sententia nihil debeo: si vero caussa cado jam tibi ex pactis debeo nihil.*

2. Solvitur Dilemma, si alterutram illius par-

(a) A verbo λαμβάνω, *capio*.
(b) *Areopagitæ judices austeri & incorrupti, qui Athenis in templo Martis judices erant caussarum capitalium.*

tem infirmare possis, vel si ostendas, aliquid medium inter duas propositiones intercedere. Sic cum servus ab hero forte percussus, illum hoc repentino Dilemmate petiisset: *Si sum improbus, cur mea uteris opera? si probus, cur aut quorsum tandem me percutis?* Hoc Dilemma sic in servum acute retorsit herus. *Non te percutio, quia probus es sed ut ex improbo fias aliquando probus.*

§. VII. De Crocodilo, & de argumento insolubili.

HUc referri potest Crocodilus, de quo pauca sunt hoc loco delibanda.

Quid est Crocodilus?

R. Est argumentationis species captiosa & fallax, quæ incautos, quibusdam quasi vinculis irretitos, inducit in fraudem. Vocatur autem *Crocodilus*, ob hanc, quam Poetæ finxere, caussam.

Crocodilus oranti mulierculæ, ut filium, dum forte juxta flumen ambularet, abreptum, sibi redderet, respondit redditurum utique, si ad propositam quæstionem verum diceret. Hæc autem fuit quæstio: *Filium reddam tibi, necne?* Ad hæc mulier anxia, fraudemque suspicata, respondit; *Non reddes; & ob eam caussam reddi debere, quod nempe verum dixisset.* *Mentiris*, inquit vafer Crocodilus: *si enim reddidero, verum non eris locuta. Reddere ergo non possum, quia falsa dixeris.*

Huc etiam revocantur propositiones, quas vocant *mentientes*, sive *insolubiles*, quæ se omnino destruunt; cujusmodi est hæc Cretensis cujusdam Poetæ: *Omnes ad unum Cretenses semper mentiuntur.* Ergo non mentitur certe quidem Poeta Cretensis, dum illos semper mentiri assueverat: Unde non sunt omnes semper mendaces.

§. VIII.

§. VIII. De Sorite & Epicheremate.

Quid est Sorites?

R. Est argumentatio, qua ex multis propositionibus gradatim, minutatim, & velut acervatim congestis aliquid infertur. Unde *Syllogismus acervalis* vocatur a Tullio. Hoc acervali captiosoque argumentandi genere utebatur olim Themistocles, dum per risum jocumque dictitabat, filium suum, licet nondum triennem, toti tamen terrarum orbi imperare. Sic enim lepide ajebat: *Meus filius imperat matri, illa mihi, ego Atheniensibus, Athenienses Græciæ, Græcia Europæ, Europa toti orbi. Ergo filiolus meus imperat toti terrarum orbi.*

In hoc disputandi genere frequentes erant (a) Stoici, & illorum princeps Zeno. Sed maxime omnium illo delectatus dicitur (b) Chrysippus, ut Socrates Inductione, & Ironia. Sed hoc genus argumenti sæpe solet esse captiosum & fallax. Dum enim sensim & minutatim multa coacervantur, facile est injicere respondenti laqueos, & periculosam illi telam texere. Retexere igitur oportebit & seorsim singula considerare, sicque facilius universa frangentur.

Cedo denique etymon illius vocis Sorites.

R. Habes germanissimum etymon in hac voce Græca σωρὸς, *cumulus, acervus*, unde σωρείτης, *sorites, argumentum acervale.*

Quid est Epicherema?

R. Est Enthymema contractum, cujus duæ propositiones in unam conferuntur; ut, *Sine caussa dominum servus accuset?* In hac enim una

K 4

(a) *Stoici Philosophi, qui summum bonum in virtute ponebant, sic dicti a* στοᾶς, *id est*, porticus, *in quam convenire solebant.*

(b) *Chrysippus Stoicus Philosoph., Zenonis Auditor.*

una propositione continentur hæ duæ; *Non debet servus temere & sine caussa dominum incusare; ergo servus & medicus regis Dejotari non debet illum temere apud Cæsarem incusare.*

De his omnibus argumentationum generibus habes splendidam atque uberem tractationem in Acroasibus Cl. Viri Jacobi Facciolati.

CAPUT III.

De Confutatione.

Quid est Confutatio?

R. Est pars orationis, in qua rationes contra nos pugnantes refellimus.

Quomodo fit Confutatio?

R. Fit primo negatione mera, cum scilicet rem allatam ab adversario, falsam omnino esse dicimus; aut illam absurdam, incredibilem, repugnantem esse demonstramus. Ita Cic. pro Quinctio, rem negat aperte: *Negamus, te bona Quintii, Sexte Navi, possedisse ex edicto Prætoris.* Sic etiam pro Roscio perspicue demonstrat, parricidii crimen, cujus insimulatur Roscius, ab illius vita moribusque prorsus alienum esse: quem locum, quia longior est, omitto.

2. Fit Confutatio, cum factum non negamus, sed excusamus, & jure factum fuisse contendimus. Sic Tullius pro Rabirio, (a) Saturnini mortem, quæ illi objiciebatur, adeo non expavescit ut scelus, ut potius illius auctorem exoptet fuisse Rabirium: *Arguis occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum, & id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissime defendente, antea falsum esse docuit. Ego autem (b) si mihi esset integrum, susci-*

(a) *Saturninus Tribunus plebis seditiosus, qui cum res novas moliretur, a servo occisus fuit in ipso Capitolio.*
(b) Ital. *Se fossi più a tempo, se stesse in mia mano*

suscipetem hoc crimen, agnoscerem, confiterer: Utinam hanc mihi facultatem caussa concederet, ut possem hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hostem populi R. interfectum.

3. Fit Confutatio, cum adversarios, pari, vel etiam majori re objecta, vicissim lacessimus, ut periti duces solent, qui hostium vires distrahunt, & alio avertunt. Talis est apud Virgilium disputatio pastorum, in qua sic prior incipit Damœtas:

(a) Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas;

Mopsus impar respondendo: nova quæstione conatur irretire Damœtam (b):

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: & Phyllida solus habeto.

4. Confutatio fit per indignationem atque contemptum; cum nempe generosa quadam fiducia, quæ nobis objiciuntur, spernere, ac dedignari videmur. Hujusmodi singulare omnino, nobileque in primis habes exemplum in 37. Livii libro, ubi magnus ille Scipio Africanus, post tot res præclare gestas, invidorum, ut fit, calumniis appetitus, & in jus ad caussam dicendam vocatus, *Silentio facto, Hoc*, inquit, *die*, (c) *Tribuni plebis, vosque Quirites, cum Hannibale, & Carthaginensibus, signis collatis in Africa, bene ac feliciter pugnavi. Itaque cum hodie litibus, & jurgiis superfederi æquum sit,* K 5 *ego*

(a) *Vide Interpretes: quorum nonnulli hæc ad Cœlii cujusdam sepulcrum referunt.* (b) *Nummi Augusti, in quorum aversa parte erant flores, cum hac inscriptione:* L. Aquilius Florus III. vir. *Sunt qui de flore hyacinthi interpretantur cum vulgo.*
(c) *Tribuni plebis erant Magistratus, Populi defensores & custodes.*

ego hinc extemplo in Capitolium, ad Jovem Optimum Maximum, Junonemque, & Minervam, cæterosque Deos, qui Capitolio, atque Arci præsident, salutandos ibo: iisque gratias agam, quod mihi, & hoc ipso die, & sæpe alias egregie Reipublicæ gerendæ mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque, quibus commodum est, ite mecum, Quirites, & orate Deos, ut mei similes Principes habeatis.

Aliquando etiam valde utile erit in confutatione jocos, sales & facetias, etiam in rebus seriis adhibere, quæ si nec in mimicam scurrilitatem degenerent, nec in atrocius maledictum, nec in nimiam dicacitatem, mirum quantum caussæ prosint, & animos auditorum exhilarent.

Postremus denique refutandi modus fit per compensationem; cum scilicet neque factum negamus, neque jure factum contendimus; sed alio quodam præclaro facto abunde compensari ostendimus. Sic Horatius, qui sororem interfecerat, judicio populi Rom. fuit absolutus, *magis admiratione virtutis, quam jure caussæ*, inquit Livius.

CAPUT IV.

De Peroratione.

Quid est Peroratio?

R. Peroratio, sive Epilogus, est ultima orationis pars, in qua id, quod tota oratione expetebat Orator, majori vehementia evincere & obtinere contendit. *Ita Quintilianus.*

Quot partibus constat Peroratio?

R. Duabus: Enumeratione & Motu, seu Affectuum commotione.

§. I.

§. I. De Enumeratione.

QUomodo fit *Enumeratio in Peroratione?*

R. Fit, cum ea, quæ per totam orationem varie sparsa sunt, summatim colligimus, & sub uno veluti aspectu ponimus, per Anacephalæosim, seu recapitulationem, quæ est rerum fuse dictarum brevis & artificiosa repetitio.

Cedo illustre aliquod exemplum Enumerationis per Anacephalæosim.

R. Exemplo esse poterit Epilogus iste in Maniliana, qui tamen partis tantum est, non vero totius Orationis: *Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum civium cum republica defenduntur.* Et rursus in eadem Orat. *Quare cum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissime sit administrandum; & cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum, & datum est, in rempublicam conservandam, atque amplificandam conferatis?*

Quid observandum est in Enumeratione, seu Anacephalæosi?

R. Duo maximopere sunt observanda. 1. Ut cursim & raptim repetas ea dumtaxat, in quibus caussa potissimum consistit, & quæ maxime velis auditorum animis inhærere. Si enim omnia minutatim repetas, *non erit Peroratio, sed nova quadam oratio,* inquit Fabius.

2. Quæ disperse diffuseque dicta sunt, ita summatim enumerabis, ut ea cum novo ali-

quo pondere dicantur, figurisque illuminentur, & ornentur sententiis; ne scilicet videatur (a) *crambe repetita*, inquit Satyricus, si nimis jejuna sit, nudaque repetitio. Vide quam sententiosa sit, quam referta rebus & verbis Anacephalæosis illa, qua Ajax apud Ovidium, suam contra Ulissem & pro se orationem ita concludit:

Nec Clypeus vasti (b) cælatus imagine mundi
Conveniet timidæ, nataeque ad furta sinistræ.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi;
Cur spolieris, erit, non cur metuaris ab hoste:
Et fuga qua sola cunctos, timidissime, vincis,
Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.
Adde quod iste tuus tam raro prælia passus,
Integer est Clypeus; nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique quid verbis opus est? Spectemur agendo:
Arma viri fortis medios mittantur in hostes:
Inde jubete peti, & referentem ornate relatis.

§. II. De Affectuum Commotione.

Altera Perorationis pars, munusque alterum est affectuum concitatio: quod quidem ita proprium est illius, ut propterea Peroratio *Sedes affectuum* a magistris artis appelletur; quod nempe in eo potissimum loco debeat orator omnia orationis vela pandere, omnes eloquentiæ fontes aperire, & auditorum animis quasi faces, stimulosque subjicere.

Quo-

(a) *Spezie di cavolo.*
(b) *Orbem terrarum in Achillis Clypeo fuisse cælatum narrat Homerus.*

Quomodo concitari possunt affectus in Peroratione?

R. Concitantur per amplificationem, quæ est gravior quædam ac vehementior affirmatio, ad permovendum valde idonea. Vide quæ supra fuse præcepimus de Amplificatione.

Quinam præcipue motus ciendi sunt in Peroratione?

R. Varii, pro variis dicendi generibus. In Panegyrico ciendi sunt motus amoris, admirationis, æmulationis, lætitiæ. In vituperatione excitandum est odium, invidia, contemptus. In deliberationibus spem, confidentiam, timorem commovebis. In judiciis vero omnia concurrunt, amor, odium, indignatio, misericordia.

In hac potissimum parte incredibilem quamdam admirationem habuit eloquentia Ciceronis, qui dum peroraret, non incendebat modo judices, & auditores, sed ardere ipse quodammodo videbatur, ac præsertim quando concitanda erat erga reos commiseratio, ita ut non raro, quemadmodum ipse de se loquitur, *plangore & lamentatione forum perorando compleverit*. Quapropter si forte aliquando plures Oratores pro eodem homine dicerent, Ciceroni Peroratio relinqui solebat, ut ipse ita testatur libro de Oratore: *Quid ego de miserationibus loquar? Quibus eo sum usus pluribus, quod, etiamsi plures dicebamus, perorationem tamen mihi omnes relinquebant, in qua ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.*

Satis hoc indicat Peroratio Milonianæ, ubi sic ait: *Sed finis sit, neque enim præ lacrymis jam loqui possum, & hic se lacrymis defendi vetat....* Et in eadem oratione. *Me quidem, judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assidue, & quibus intersum*

quotidie. Itemque pro Rabirio (a) Postumo; *Sed jam, quoniam ut spero, fidem quam potui, tibi præstiti, Postume, reddam etiam lacrymas quas debeo .... Jam indicat tot hominum fletus quam sis charus tuis, & me dolor debilitat & includit vocem.*

Eadem concitandæ commiserationis arte perfidus ille Sinon Æneid. 2. suam ad Priamum & Trojanos veteratoriam orationem ita concludit:

Quod te per superos, & conscia numina veri,
Per, si qua est, quæ restat adhuc, mortalibus usquam
Intemerata fides; oro: miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.

Vide etiam quam plena sit affectuum, quamque, ut ita loquar, flexanima apud Ovidium Ulyssis peroratio, qua Achillis arma tandem impetravit, & Ajacem, doloris ac repulsæ impatientem, ad mortem adegit:

At vos, o proceres, vigili date præmia vestro,
Proque tot annorum curis, quos anxius egi,
Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.
Jam labor in fine est, (b) obstantia fata removi,
Altaque posse capi (c) faciendo, Pergama cepi.
Per spes nunc socias, casuraque mœnia Troum,

Per

(a) *Postumus sine aspiratione contra etymologiam, ita Aldus & lapides antiqui.*
(b) *Palladium, hoc est Palladis simulacrum, in arce Trojana capiendo.*
(c) *Dum feci, ut Troja capi posset, eam censendus sum cepisse.*

Perque Deos [illegible], quos hosti nuper ademi ;
Per si quid superest quod sit sapienter agendum :

. . . .

Este mei memores ; aut si mihi non datis arma,
Huic date : & ostendit signum fatale Minervæ.

Quænam sunt præcipuæ virtutes Perorationis?

R. Duæ. 1. Ut sit vehemens ad permovendos animos. 2. Ut sit brevis ; quia, ut observat Tullius, *lacrymæ cito arescunt, & animorum incendia celeriter restinguuntur.*

Finis Libri Tertii.



AR-

ARTIS RHETORICÆ LIBER QUARTUS.

DE DIVERSIS ORATIONUM GENERIBUS.



Tametsi quæ de Inventione, Dispositione, & Elocutione fusius disputata sunt a nobis hactenus, ad quodlibet argumenti genus facile possint accommodari; tamen quo res sit expeditior & cuilibet magis in promptu, de variis Orationum generibus particulatim tradenda nobis esse præcepta judicavimus. Neque vero satis esse censuimus, generatim atque universe indicare fontes, unde manat omnis oratio, nisi etiam singula itinera, singulasque vias indicare sigillatim aggrederemur.

Omnes itaque quæ haberi possunt orationes, ad tria dicendi genera revocantur; nempe ad demonstrativum, deliberativum, & judiciale. Ad genus demonstrativum pertinent, 1 Oratio Panegyrica; 2. Oratio natalitia, seu Genethliacon; 3. Epithalamium, seu Oratio nuptialis; 4. Oratio funebris; 5. Gratiarum actio; 6. Epinicium, & Oratio gratulatoria. Ad genus deliberativum revocantur suasio, dissuasio, hortatio, commendatio. De duobus hisce orationum generibus enucleate videamus; nam Judiciale minus est nostra ætate usitatum.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Orationibus, quæ pertinent ad genus demonstrativum.

§. I. De oratione Panegyrica.

UNdenam nomen suum traxit Panegyricus? R. Panegyricæ orationes proprie dicebantur illæ, quæ magno apparatu habebantur olim in panegyri (a), hoc est in publico solemnique Græcorum undique convolantium cœtu, sive ad ludos faciendos, sive ad sacra, (b) nundinasve in aliquo emporio celebrandas. Harum porro orationum initium quo splendidius esset, sumi solebat a laude Numinis illius, quod ludis præesse credebatur, ut Olimpii Jovis in ludis Olympicis, Apollinis in certamine Pythico. Deinde sequebatur laus gentis, vel urbis, ubi ludi celebrabantur. Denique Principes, vel Magistratus, qui certamini præerant, pugiles, qui decertaverant, ac præsertim victores, qui præmia tulerant, plena manu laudabantur.

Hæc erat ratio veterum illarum orationum, quæ habebantur in panegyri. Sed posterioribus temporibus non illæ solum vocatæ sunt Panegyricæ, quæ solemnibus in ludis dicerentur: sed illæ etiam, quæ in nobili quopiam consessu, qualis est Senatus, in Principum laudem habebantur.

§. II. De inventionibus & fontibus Panegyrici.

QUanam series servari solet in Panegyrico? R. Duplex; artificialis nempe & naturalis. Servatur series artificialis, cum indiscriminatim

(a) ἄγυρις, cœtus, πανήγυρις, cœtus universalis.

(b) Ital. *Fiere*, *mercati*.

tim confuso temporis ordine, omnia ad certa quædam capita ex arte revocantur; v. gr. si quis veteris, seu majoris Catonis laudes ad tria hæc referat capita, quod fuerit optimus Senator, optimus Orator, optimus Imperator. Simili ratione Tullius in Maniliana, Pompeji laudes refert ad scientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, & ad felicitatem. Sic etiam Q. Curtius Alexandrum M. laudat ex hoc duplici capite, virtute scilicet & fortunæ. *Fatendum est*, inquit, *cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit*. Hic porro artificialis ordo longe plus habet artis & ingenii, quam ordo naturalis.

Quænam est series naturalis?

R. Series naturalis ea dicitur, in qua historiæ, ac temporis ordo servatur. Hæc autem series dividitur in tria tempora; illud quod vitam antecessit; illud quo quis vixit; & si naturæ concesserit, illud quod mortem est consecutum.

Hunc persæpe adhibuerunt Isocrates & Tullius. Hunc ferme usurpavit Plinius in nobili illo Trajani Panegyrico. Nam illius laudationem orditur ab adoptione, temporis ordinem fere servans, & ad tertium usque Consulatum perducit. Utinam vero serius habita fuisset pulcherrima illa laudatio, ut reliquam etiam optimi Imperatoris vitam haberemus! Cum enim in tertio, ut diximus, Trajani Consulatu sistat Plinius, nihil prorsus in illo legas de (a) Decebalo victo, unde Dacici nomen retulit Trajanus, quod quarto Consulatu contigit; nihil de tot aliis rebus præclare ab eo gestis. Quæ vero Plinius refert, etiamsi non magnum belli ducem ostendant Trajanum, quia nondum ejus ductu bellum fuerat gestum; tamen signa sunt, ex

(a) *Decebalus fortis & industrius Dacorum rex, qui diu fuit Romanorum terror.*

ex quibus magnum olim belli ducem fore liquido conjici poterat. Verum qua parte nos destituit Plinius, alii Panegyristæ, sed aliis in Imperatoribus, exemplo esse poterunt: ut e Latinis Mamertinus, aliique, qui cum eo pariter solent excudi. Nec plane aspernandus Ennodii (a) Ticinensis Episcopi Panegyricus, dictus Theodorico Gothorum regi.

E Græcis adeundus est Julianus, orationibus duabus in laudem Constantii Imp. Juvabunt quoque plurimum Latinorum Poetarum Panegyrici; ut ille Tibulli ad Messallam libro 4. item seu Ovidii, seu Lucani ad Calpurnium Pisonem. Quibus adde Panegyricos Claudiani, Sinodii & aliorum.

Hic naturalis ordo perfacilis est, sed vulgaris ac plerumque languidus, nisi verborum sententiarumque floribus aspergatur, & acutis excitetur sententiis: uti factum a Plinio in suo illo eximio Panegyrico, in quem, tamquam in eximium exemplar, intueri poterimus.

§. III. De tempore, quod ortum antecessit.

Quid laudare poterit Orator in illo primo tempore?

R. Tria, nempe genus, patriam, & auguria si qua forte pueri natalem horam præcesserint.

Quomodo laudari quis poterit a genere?

R. Si genus sit illustre, laudabis a splendore natalium, majorumque rebus gestis, quæ sunt quædam virtutis quasi semina, in nobilium animis insita. Dices, majorum virtutem in eum, quem laudas, cum sanguine pariter fuisse transmissam, juxta decantatum illud Horatii verbum: *Fortes creantur fortibus*. Dices, filios impressis majorum vestigiis insistere solere. Hinc illud Claudiani:

..... No-

(a) di Pavia.

:.... Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina caussæ.

Hinc Maro magnifice laudat Camertem Æn. 12.

Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis:

Quid facto est opus, si is qui laudatur, obscuro genere natus sit?

R. Locum habere poterit illud Minutii Felicis in Octavio: *Omnes pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur*. Vel illud Velleji Paterculi: *Optimus quisque nobilissimus*. Dices quoque cum Seneca: *Non facit nobilem, Atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione, supra conditionem licet surgere*. Usurpabis tritum illud alterius Senecæ: *Qui genus laudat suum, aliena laudat*. Nihil etiam magis pervulgatum quam effatum illud Ulyssis, in certamine cum Ajace (a):

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Cui plane simillimum est quod ait Juvenalis Sat. 8.

Malo pater tibi sit (b) Thersites, dummodo tu sis
(c) Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
....
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo:

Deni-

(a) *Metam.* 13.

(b) *Thersites, omnium, qui ad obsidionem Troja navigaverant, animo, & corpore deformissimus.*

(c) *Achilli, qui fuit Æaci nepos, & qui armis a Vulcano fabricatis mira edidit facinora.*

Denique ne generis humilitas quidquam de laudibus deferat; erunt in promptu communia hæc exempla. 1. Augustum patre avoque (a) argentario natum esse, ut nonnulli voluere: proavum vero habuisse libertinum: avum autem maternum fuisse pictorem Ariciæ, quod illi non semel exprobavit Antonius, teste Svetonio. 2. Agathoclem Siciliæ regem patre figulo natum, teste Justino. 3. Ptolemæum primum Ægypti regem, a quo successores omnes dicti sunt *Ptolemæi*, (b) e gregario milite nomine *Lago.* fuisse prognatum.

4. Magnum illum Arsacem, primum Parthorum regem, unde item *Arsacidæ* dicti sunt: obscuris omnino natalibus ortum fuisse.

5. Demosthenis patrem, gladiorum fabrum fuisse.

Quo alludit Juvenalis, cum ait Satyra 10.

Dis ille (c) adversis genitus, fatoque sinistro;
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladiosque parante
Incude & (d) luteo Vulcano ad rhetora misit.

Erit etiam in promptu magnifica illa Tullii vox cum contemptim *novus Arpinas* appellaretur. *Ego*, inquit, *meis majoribus virtute mea prælu xi*. Denique poterit usurpari quoque ingeniosum illud dictum Iphicratis, qui ex sutoris filio, ob summam rei militaris peritiam, factus Athieniensium exercitus Imperator, invido cuidam generis ignobilitatem exprobranti false respondit: *Meum genus a me incipit: tuum in te desinit. Meorum primus ego sum; tu tuorum ultimus.*

Quo-

(a) Ital. *Banchista.*
(b) Ital. *Fantaccino.*
(c) *Demosthenes, qui sibi veneno mortem inferre coactus est, ne in hostium manus incideret.*
(d) *A lutosa & fuliginosa fabri officina.*

Quomodo ducitur laus a patria?

R. Si ea illustris fuerit, virisque insignibus nobilitata, hoc ipsum in laude poni solet. Hunc laudationis fontem non ignoravit Virgilius, cum ait de Didone:

Multa (a) viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos.

Quid facto est opus, si patria sit ignobilis, & obscura, vel etiam infamis?

R. 1. Usurpabis memorabile illud Anacharsis verbum, qui cum natus esset in Scythia, & a Greco nescio quo *Barbarus*, *& Scytha* per contemptum appellaretur, perquam ingeniose respondit: *Mihi quidem patria probro est; tu vero patriæ*.

2. Dices cum Juvenale, tametsi adeo pervulgata esset Abderitarum stupiditas, ut etiam in communi proverbio versaretur: unde Martialis; *Abderitanæ pectora plebis habes*: tamen Abderitam fuisse Democritum, Physicum illum subtilissimum, naturæque venatorem acerrimum:

..... Cujus prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos;
Vervecum (b) in patria, crassoque sub aere nasci.

3. Juvabit enim illud Claudiani, de laudibus Stiliconis: (c)

(d) Lectos ex omnibus oris
Evehis, & meritum, nunquam cunabula quæris;
Et qualis, non unde satus.

4. Faciet quoque mirum in modum illa Ausonii sententia de Severo Imperatore, qui natus erat in Africa:

Punica origo illi: sed qui virtute probaret
Non obstare locum, dum valet ingenium.

Quo-

(a) *Ænea*.
(b) *Vervex* Ital. *Castrato*.
(c) *Lib.* 2 (d) *Persone scelte da ogni paese*.

Quomodo laudari quis poterit ab auguriis, & signis quæ illius ortum antecesserunt?

R. Si quid forte singulare contigerit, quo pueri futura claritas & amplitudo quomodocumque portendi videatur, id solerter in laude ponendum erit. Hujusmodi est fax illa, quam Hecuba prægnans utero gestare se somniavit. Ejusmodi est etiam vitis illa, quam in somnio vidit Astyages, quæ palmitibus Asiam obumbraret; unde Cyri magnitudinem præsagiri ab (a) ariolis responsum est. Id genus est etiam illud (b) examen apum, quod in nascentis vel vagientis Ambrosii labris consedisse dicitur. His adde quod de mirabili S. Joannis Baptistæ ortu narrant Sacræ Paginæ. Nec omittenda est orbicularis illa flamma, quæ nascente Joanne Pico Mirandulano, qui postea eruditionis quoddam portentum fuit, supra caput matris parientis visa est, & mox evanuit.

§. IV. De iis, quæ in vita ipsa laudari possunt.

Quænam in hominis vita laudem præcipuam merentur?

R. Tria hæc in primis, virtutes, scientiæ, & artes.

Quænam virtutes sunt vel maxime celebrandæ?

R. Primum, ut par est, locum obtinet religio, pietasque in Deum, in Parentes & Patriam. Ex hoc capite suam ipsius commendationem exorditur Æneas, 1. Æn.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum.

Secundum locum sibi jure vindicant clementia, moderatio, atque justit. Ex primo capite Cæsarem mirifice commendat Tullius pro Marcello:

(a) Ital. *Indovini.* (b) Ital. *Sciame.*

bello: *Animum vincere, iracundiam cohibere; victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem; hæc qui faciat non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico*. De hac eadem clementia sic Antoninus Imperator ad Faustinam conjugem: *Non enim quidquam est, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit: Hæc consecravit Augustum*.

3. Laudabitur liberalitas atque beneficentia; qua nimirum una reges ac principes propius ad Deum possunt accedere. Commendabitur aurea illa Scytharum legati ad Alexandrum vox: (a) *Si Deus es, tribuere hominibus beneficia debes, non sua eripere*. Celebrari quoque poterit facilitas ac liberalitas Imperatoris Titi, qui nihil cuiquam, quod concedi fas esset, abnuebat; *negans*, inquit Svetonius, *oportere quemquam a Principe tristem discedere*. Cum vero aliquando, inter cœnandum, diem illum beneficio vacuum abiisse meminisset, conversus ad amicos, *Amici*, inquit, *diem perdidi*. Adeo scilicet Principibus vitam ad benemerendum de mortalibus datam existimabat; proindeque summis æque, ac infimis charus adeo fuit, ut *humani generis deliciæ* merito diceretur.

Usurpari etiam poterit aurea illa Virgilii sententia, Æneid. 6. sepositum quemdam Elysios esse locum iis omnibus, qui erga alios fuere benefici:

Quippe sui memores alios fecere merendo.

Denique celebrabitur fortitudo in adeundis periculis & in laboribus sufferendis; magnitudo animi excelsi & invicti nihil extimescentis, constantia fidesque in promissis: prudentia in consiliis capiendis, celeritas in exequendis; in adversis vero æquanimitas & robur mentis semper imperterritæ. Quo-

(a) Q. Curtius lib. 7.

Quomodo laudari quis potest a scientia, & artibus?

R. Ex duplici capite. 1. Si liberalium artium disciplinis sit instructus is, qui laudatur. 2. Si saltem literis & artibus faveat & patrocinetur. Ex hoc posteriori capite Imperatorem Trajanum magnifice celebrat Juvenalis Satyra 7.

Et Spes & ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit.

§. V. De corporis & fortunæ laudibus.

QUanam res laudantur in corpore?

R. Laudatur in corpore pulchritudo, robur, sanitas, & his similia. Qui hæc habuerit, laudabitur, quod bene sit illis usus: Qui non habuerit, quod sapienter caruerit: Qui amiserit, quod tulerit moderate.

Cur caduca hac, & plerumque etiam noxia corporis bona laudantur in homine?

R. Laudantur, 1. Quia, licet in se veram laudem non habeant, quæ debetur uni virtuti; tamen virtus in eorum usu atque moderatione vel maxime cernitur. 2. Quia formæ dignitas est optimæ mentis indicium, & simulacrum quoddam, ac flos quodammodo virtutis. Unde non inscite dictum est ab Eumenio in Panegyrico Constantini M. *Naturam ipsam magnis mentibus domicilia magna metari, & ex vultu hominis decoreque membrorum colligi posse, quantus cœlestis spiritus intrarit habitator.* 3. Quia corporis decor est muta quædam commendatio, &, ut eleganter ajebat Carneades, *Regnum* (a) *absque satellitio.*

Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus
Adjuvat.....

L inquit

(a) Ἀδορυφόρητος βασιλεία.

inquit Maro. Hinc est quod olim populi bene multi, & in primis Æthiopes, Indique, in dandis Imperiis, proceritatem ac pulchritudinem spectare solebant, ut narrat Aristoteles; graviterque mulctatus fuit olim a Lacedemoniis Archidamus rex, quod exiguam duxisset uxorem. Querebantur enim *non* (a) *reges, sed regulos* ex hoc conjugio procreatum iri. 4. Quia pulchritudo est veritatis non solum indicium, sed etiam adjumentum. 5. Denique cum vel in ipsis sacris litteris prædicetur David, ut *pulcher aspectu, & facie decora*; quid sane mirum, si a Cornelio Nepote laudetur Alcibiades, ut *ætatis suæ formosissimus*? Si ex hoc eodem capite commendetur a Plutarcho Scipio Africanus, & si de Theodosio M. dixerit Pacatus: *Virtus tua meruit Imperium: sed virtuti addixit forma suffragium. Ille præstitit, ut oporteret te Principem fieri: hæc ut deceret.*

Quod si subturpiculus forte fuerit vel deformis is, qui laudatur, tunc sane corporis vitium egregiis animi dotibus soletter compensabis. Confugies ad illud Ovidianum:

(b) Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Dices deformem fuisse Socratem, cæcum Homerum, coclitem seu altero oculo captum Philippum Alexandri magni patrem, itemque Hannibalem. Unde Juvenalis:

(c) Cum Getula Ducem portaret bellua luscum.

Fluxam & caducam formæ fragilitatem, quæ propediem deflorescit, verbis exaggerabis, unde Socrates ingeniose ajebat, illam esse *brevem tyranni-*

(a) οὐ βασιλέας ἀλλὰ βασιλίσκους.
(b) *Sappho ad Phaonem.*
(c) *Elephas e Getulia Libyca parte.*

tyrannidem. Neque fragilem modo dices, sed etiam rem esse plerumque perniciosam, præcipitem, lubricam & periculosæ aleæ plenam docebis. Unde festive Petrarcha vocat illam *velum oculis, pedibus laqueum, viscum alis*. Postremo addere poteris cum Petronio: *Raram facit mixturam cum sapientia forma*; & cum Ovidio, primo Fastorum;

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam:

Cum Martiali, lasciviam esse persæpe illius comitem:

Insignis forma nequitiaque puer.

Cum vanissimo illo milite apud Plautum: *Nimia est miseria pulchrum esse hominem nimis*. Sed in primis dices cum Juvenali Sat. 10.

Sed vetat optari faciem: Lucretia, qualem,
Ipsa habuit, cuperet Rutilæ (a) Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros trepidosque parentes
Semper habet: rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Quænam sunt Fortunæ bona?
R. Honores & divitiæ.

Quomodo commendari quis poterit ab honoribus?
R. Bifariam, si nempe illos promeritus fuerit, beneque illis fuerit usus. Hinc acute omnino suum Trajanum laudat Plinius, quod meruerit honores, antequam fuisset illos adeptus: *Soli*, inquit, *contigit tibi, ut pater patriæ esses, antequam fieres*. 2. Si & meruerit simul & spreverit, quemadmodum magnanimus ille Frontinus; quem cum Rufo ita comparat Plinius in Epistolis: *Uterque*, inquit, *ad gloriam pari cupiditate*,

L 2

(a) *Virginia virgo formosissima, ne in potestatem veniret Appii Claudii Decemviri, a patre fuit interempta.*

tate, diverso itinere contendit. Alter (Rufus) *cum expedit debitos titulos: alter* (Frontinus) *cum mavult videri contempsisse.*

Quomodo commendari quis potest a divitiis?

R. 1. Si possideat, non possideatur. 2. Si sint honestis laboribus partæ. 3. Si iis utatur, non ad perfruendas voluptates, sed vel ad usus vitæ honestos, vel ad juvandos amicos, vel ad egenorum inopiam sublevandam, ut Trajanus; de quo ita Plinius: *Nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes:* Non vero quemadmodum aut luxuriosi perditique (a) nepotes, aut avari:

Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quæ maxima turba est. (b)

Quod si fortunæ bonis caruerit is, quem laudas, confugies ad tritos illos communesque locos, blandientis fortunæ munera potius esse in malis, quam in bonis numeranda; caduca semper hæc esse, non virtutis & ingenii, sed incertæ sortis & temporum munera: infelicitatis genus esse semper esse felicem. Usurpabis aureum illud verbum: *Nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas:* (c) Amplificabis Horatianum illud: *Aurum irrepertum, & sic melius situm cum terra celat.* Dices denique cum Juvenali:

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul:
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.

§. VI. De tempore illo, quod mortem subsequitur.

Superest nunc tempus ultimum, cujus in primis habenda est ratio. Ut enim docet D. Ambrosius: *Ante mortem nulla est perfecta laudatio; neque*

(a) Ital. *Scialacquatori.*
(b) *Æn.* 6.
(c) *Petron.*

neque quisquam in hac vita potest definito praconio prædicari, cum posteriora ejus incerta sint.

Quænam res in ultimo tempore laudari possunt?

R. Duæ. 1. Quæ in ipsa morte; 2. Quæ sub ipsum mortis tempus contigere.

Quid in ipsa morte considerare potissimum debet Orator?

R. Duo: genus nimirum, & caussam mortis. Genus, si quis pie ac fortiter obierit, ut sapientem ac probum decet; Caussa vero laudabitur, si nempe vel pro patria pugnans occubuerit; *Dulce enim ac decorum est pro patria mori*, inquit Horatius; vel si pro tuenda religione mortem occubuerit, ut Christi Martyres sanctissimi: vel denique si honestis animi corporisve laboribus & curis sibi ipse mortem acceleraverit.

Quænam post mortem consideranda sunt?

R. Tria hæc spectari solent. 1. Pompa funebris, & honores habiti mortuo; ut quod Aristoteli statua fuerit erecta cum inscriptione hujusmodi: *Aristoteles Philosophorum optimus*; vel quod uni Demetrio Phalereo statuæ trecentæ & sexaginta fuerint Athenis positæ; vel quod Gorgiæ Leontino, non aurata, ut ceteris, sed aurea statua fuerit erecta. 2. Spectatur bonorum mœror & luctus. Quo refer illa Mopsi apud Maronem Ecl. 5.

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri, (a) silvæque loquuntur.

Sed nihil in hoc genere comparandum cum incredibili insolitoque omnium ordinum luctu & acerbissima militum comploratione post Alexan-

(a) *Silva cum I, non cum Y, ita veteres omnes lapides & libri.*

xandri mortem; quod eloquentissime ita describit Curtius lib. 10. *Suprema hæc vox regis fuit, & paulo post extinguitur. Ac primo ploratu lamentisque, & planctibus tota Regia personabat; mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant; ad cogitationes quid deinde futurum esset, dolore converso. Nobiles pueri custodia corporis ejus assueti, nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra vestibulum Regiæ retinere potuerant; vagique ac furentibus similes totam urbem luctu ac mœrore compleverant, nullis questibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit .... Nec poterant victi a victoribus in communi dolore discerni. Persæ justissimum, ac mitissimum dominum: Macedones optimum ac fortissimum Regem invocantes, certamen quoddam mœroris edebant. Nec mœstorum solum, sed etiam indignantium voces exaudiebantur; tam viridem, & in flore ætatis* (a) *fortunaque, invidia Deorum ereptum esse rebus humanis. Vigor ejus & vultus educentis in prælium milites, obsidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis, occurrebant oculis.*

Persæ, comis more suo detonsis, in lugubri veste cum conjugibus, ac liberis, non ut victorem, & modo hostem, sed ut gentis suæ justissimum regem, vero desiderio lugebant.... Ad Darii quoque (b) *matrem celeriter fama perlata est. Abscissa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumpsit, laceratisque crinibus, humi corpus abjecit..... ad ultimum dolori succumbit, obvolutoque capite, accedentes genibus suis neptem nepotemque aversata, cibo pariter abstinuit & luce; quinto, postquam mori statuerat, die extincta.*

3. Denique spectantur filii superstites relicti, unde levari mortis mœror, damnumque aliquo pacto sarciri possit. Ita D. Ambrosius in funere

(a)

(a) *Anno ætatis* 33.
(b) *Sisygambim*.

(a) Theodosii Magni. *Ergo*, inquit, *tantus Imperator recessit a nobis; sed non totus recessit. Reliquit enim liberos, in quibus eum debemus agnoscere & in quibus eum cernimus & tenemus*. Intelligit autem Honorium, & Arcadium, qui patri in Imperio successere.

§. VII. Animadversiones quædam circa personarum laudationem.

QUanam *observanda sunt in personarum laudatione?*

R. Tria hæc. 1. Ne ad ementitas fictitiasque laudes recurramus, quæ scilicet non splendorem afferunt orationi, sed in veris etiam fidem omnino derogare solent; ut olim contigit imprudentibus hisce Poetis, qui versibus celebrare veriti non sunt hyacinthinas (b) Stratonices comas, quam non deformem modo, sed calvam prorsus esse nemo nesciebat. Hoc etiam illustrare poteris exemplo Lysippi, qui Alexandrum sapienter effinxit hastam manu tenentem, Apellem reprehendens, quod eumdem fulminantem depinxisset, & ita spoliasset veris ac propriis insignibus, & ornaret falsis, quæ nullam apud posteros fidem essent habitura.

2. Cavendum est, ne, in meliorum copia, res consectemur viles, & facta leviora. Ut enim scite ajebat (c) Phavorinus, turpius est exigue frigideque laudari, quam graviter vituperari. In magnis tamen viris aliquando etiam res minusculas commendare operæ pretium est: Fecit hoc olim Damis in Apollonio suo Tyanæo: eoque nomine reprehensus argute respondit: *De mensis Deorum* (d) *analecta quoque colligi sedulo debere, ne de illorum ambrosia quidquam depereat*,

L 4 3. De-

(a) *Obiit anno Christi 395.*
(b) *Stratonice Seleuci Syriæ regis uxor.*
(c) *Phavorinus insignis Philosophus, Arelate in Gallia natus tempore Hadr. cui fuit infensissimus.*
(d) *Analecta, Cœnarum quisquiliæ sub mensam cadentes.*

3. Denique erit hoc observandum diligenter; ut non communes ac pervagatas, sed proprias cujusque, vel saltem cum paucis communes laudes præcipue consectentur. Quapropter plane ac perfecte perspecta tibi esse debent quæ propria sunt illius, de quo agitur.

De personarum laudatione satis superque dictum a nobis hactenus. Unde intelligi facile potest, quando debeat institui vituperatio, quippe ubi omnia prorsus debent inverti.

§. VIII. De Oratione natalitia, seu Genethliaca.

Quid est oratio Genethliaca?

R. Oratio Genethliaca, quæ etiam Genethliacum, vel Genethliacus appellatur, est oratio, qua alicujus dies natalis celebratur.

Quas partes, seu capita continet oratio Genethliaca?

R. Quatuor: 1. Continet laudes parentum; atque majorum, quæ jure quodam hæreditario pertinere videntur ad prolem. 2. Spem quam præbet puer vitæ aliquando cum laude peragendæ. 3. Lætitiam & gratulationem de prole feliciter parentibus nata. 4. Vota & preces ad Deum O. M. ut infanti fauste, feliciter, prospereque eveniant omnia, utque in patriæ decus, & ornamentum adolescat. Hujusmodi vota pro Domitiani filio, licet nondum nato, facit Martialis lib. 6.

Nascere Dardanio promissum nomen Julo,
 Vera Deum soboles, nascere magne puer;
Cui pater æternas, post sæcula, tradat habenas,
 Quique regas orbem cum seniore senex.

Undenam excitari potest spes illa, atque expectatio de futura prolis virtute ac gloria?

R. Ex variis circumstantiis; 1. ex genere; 2. ex

facie;

facie; 3. ex futura educatione; 4. ex signis, ex portentis, ex victoriis, prosperisque aliis eventis, si qua forte id genus pueri ortum vel antecesserint, vel comitata fuerint, aut subsecuta, qualia de Augusto narrantur, itemque de Pyrrho rege, qui maternis uberibus appensus dixit: Βὔλομαι, *volo*, quæ vox transiit in omen futuræ audaciæ. Si quis parentum enixe efflagitantium precibus, ac votis concessus a Deo fuerit, habebis uberem bene augurandi campum, ut de Scipione memorat A. Gellius & ut Ludovico Magno contigisse vidit ætas nostra.

Quænam est dispositio Genethliaci?

R. Exordium erit lætitiæ & gratulationis plenum, & ductum ab aliqua temporis, loci, vel personæ circumstantia. Ita Maro eximium illud (a) Salonini, seu alterius Genethliacum exorditur ab apostrophe, quæ gestientem quamdam lætitiam exprimit:

Sicelides Musæ, paulo majora canamus.

Confirmatio continebit parentum laudes, & varias caussas, quæ læta omnia de infante sperare jubeant. Vide quam magnifice locum hunc tractet Virgilius, quantaque non vereatur augurari de puero, ex patris virtute notissima:

Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis:
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
....
At simul heroum laudes & facta parentis
Jam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus;
Molli paulatim flavescet campus arista.

Peroratio denique vota precesque pro filii & parentum incolumitate continebit. Ita Statius Silvarum libro 4.

(a) *Saloninus sic vocatus, quod natus fuerit quo anno pater Asinius Pellio Salonam Dalmatiæ civitatem expugnavit.*

Magnus te manet ordo sæculorum,
Natis longior, abnepotibusque,
Annos perpetua geres juventa,
Quos fertur placidos obiisse Nestor,
Quos (a) Tithonia computat senectus,
Et quantos ego Delium poposci.

Quid est oratio Lustrica?

R. Ea est, quæ a veteribus nonnullis habebatur, quando infanti nomen imponebatur. Vocabatur autem *Lustrica oratio*, quod dies ille *Lustricus*, seu *lustralis* vulgo diceretur. Verum quoniam illud orationis genus penitus apud nos videtur obsolevisse, in illo tractando operam & oleum perdemus.

§. IV. De oratione nuptiali, sive Epithalamio.

QUid *est Epithalamium, seu oratio nuptialis?*

R. Epithalamium, ut vox ipsa satis indicat, est oratio, qua alicujus nuptiæ celebrantur. Sic autem appellatur a voce Græca θάλαμος, quæ *cubiculum nuptiale* significat.

Quot sunt partes Epithalamii?

R. Quatuor. 1. Dicitur generatim & universe de nuptiarum laudibus & de bonis matrimonii, quo scilicet hominum societas primum cœpit, urbes conditæ sunt, genus humanum propagatur, vitæ levantur incommoda, & mutua charitas atque benevolentia cognationibus & affinitatibus serpit, atque diffunditur.

2. Pars, quæ præcipuam quamdam curam diligentiamque desiderat, continet laudes utriusque conjugis. Ducuntur autem laudes illæ a Parentibus, a Patria, ab honoribus, fortunisque, a corporis animique dotibus, & a ceteris illis

(a) *Tithonus Laomedontis filius, Memnonis Pater, post longissimam vitam, ab Aurora conjuge versus in cicadam.*

illis capitibus, unde laudari homines solent de quibus fuse diximus supra. Ita (a) Mariam Imperatoris Honorii novam conjugem laudibus in Cœlum tollit Claudianus Epithal.

Salve sidereæ proles augusta (b) Serenæ,
Magnorum soboles regum, pariturаque reges.
. . . .
Quæ proprior sceptris facies, quis dignior aula
Vultus erit? Non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ,
. . . .
Auroræ vincis digitos, humerosque Dianæ:

Tertio loco laudatur nuptiarum apparatus, atque celebritas, popularium & affinium prædicatur lætitia, & aliqua etiam laude solent aspergi, qui ad nuptias convenere. 4. Denique præcipuis & faustis ominibus clauditur oratio, & vota Deo Superisque pro felici liberorum ortu, mutuaque conjugum concordia nuncupantur. Ita Statius in Epithal. Stellæ, & Violantillæ.

Eja age, præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui castra legant, qui carmina ludant,
Acceleret partu decimum bona (c) Cynthia mensem;
Sed parcat Lucina, precor, tuque ipse Parenti
Parce puer: ne mollem uterum, ne stantia lædas
Pectora: cumque tuos tacito natura recessu
Formavit vultus, multum de matre decoris,
Plus de patre feras.

Pro mutua conjugum concordia sic vota nuncupat Martialis in Epith. Prudentis & Claudiæ lib. 4.

Diligat illa senem quondam: sed & ipsa marito
Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus.

L 6 § X.

(a) *Maria Stiliconis filia nupsit Imperatori Honorio.*
(b) *Serena filia fratris Theodosii magni uxor Stilic.*
(c) *Cynthia nomen Dianæ a Cyntho monte in Delo insula, ubi nota est.*

§. X. De laudatione Funebri.

QUid est oratio Funebris?

R. Ea est, quæ habetur vel in ipso funere, vel in anniversario funeris die, cujusmodi erant orationes illæ, quas ad Mausoli sepulchrum quotannis haberi jussit Artemisia; itemque quæ Athenis habebantur in laudem eorum, qui in bello pro patria cecidissent, qualis est oratio Periclis apud Thucydidem.

Quænam est origo hujusmodi Funebrium orationum?

R. Illarum inventor apud Græcos fuit Solon, unus e septem Sapientibus: apud Romanos vero Valerius Publicola; qui collegam suum Junium Brutum, in pugna contra Tarquinios cæsum, funebri oratione prosecutus est; tantoque id populi applausu fecit, ut exinde mos ille obtinuerit, publice laudandi Duces eos, qui in bello cecidissent, & a Romanis mox ille ad ceteras gentes, & ad ipsos etiam Christianos manaverit. Hujusmodi porro laudationibus mendosam factam esse historiam, auctor est Tullius, & post illum Livius, quod nempe supra modum res in illis augeri solerent, & bene multa assentatorie magis quam vere dicerentur, ut fere fit.

Quot partibus constat oratio Funebris?

R. Orationem funebrem tribus omnino partibus constare debere: nimirum laude, consolatione & parænesi, sive adhortatione: Laude mortui; consolatione Parentum, & affinium; Parænesi vero, seu adhortatione ad superstites, ut in mortui vitam atque virtutes, tamquam in exemplar, intueantur.

De

De artificio funebris orationis.

Quodnam esse debet, & undenam ducendum est illius Exordium?

R. Magnam quamdam mœroris, luctusque significationem præseferre omnino debet. Duci autem poterit, 1. ab exclamatione. Tale est Exordium brevis illius, sed perelegantis orationis Tullianæ in morte Crassi Oratoris clarissimi: *O fallacem nostram spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt!*

2. Duci potest Exordium a descriptione funebris apparatus, vel a mœsto audientium silentio, quæ res utraque sacrum quemdam horrorem audientibus incutiat. Ita nos olim sumus exorsi funebrem laudationem Ill. Ecclesiæ Principis Camilli de Neufville Archiepiscopi & Proregis Lugd. *Quod tristi silentio, tacitaque mœstitia defixos, & rerum a me dicendarum expectatione suspensos esse vos videam (Auditores) arguit illud quidem dolorem vestrum, cujus vim acerbissimam in vestris animis altius insedisse satis intelligo. At hic vester mœror, hæc expectatio tanta ne mihi vobisque fraudi sit, est omnino quod verear. Habent hoc nempe magni dolores, ut superbissimus sit illorum sensus, delicatissimumque fastidium: Habent hoc ut refricando facile recrudescant, neque se, nisi caute admodum, ac molliter interpellari patiantur. Verum opprimar ante licet officii pondere, quam illud deseram.*

3. Duci poterit Exordium a gravi aliquo (a) apophthegmate de fragili caducaque rerum humanarum sorte, quæ nobis, ut cum maxime, ante oculos observatur.

4. Duci poterit ab adjunctis, quæ forte laudandi

(a) Ital. *Detto sentenzioso.*

dandi mortem circumstetere. Hinc Imperatoris Theodosii M. laudationem funebrem orditur D. Ambrosius: *Hoc nobis motus terrarum graves, hoc juges pluviæ minabantur, & ultra solitum caligo tenebrosior denunciabat, quod clementissimus Imperator Theodosius recessurus esset e terris. Ipsa igitur recessum ejus elementa mœrebant. Cœlum tenebris obductum, aer perpeti horrens caligine, terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluvionibus. Quidni Mundus ipse defleret eum Principem continuo esse rapiendum, per quem dura Mundi istius temperari solerent?*

5. Denique abruptum exordium ad movendam commiserationem longe aptius esse videtur, quam temperatum ac lene. Vide quomodo M. Antonius Muretus in funere (a) Caroli noni Galliarum Regis exordiatur ex abrupto: *Hoc igitur restabat afflictis, ac pene prostratis infelicis Galliæ rebus, ut Carolus Rex, quo se illa recreabat, ac solabatur uno, de quo cogitans, in quem intuens, omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat, cum bonorum animos ad aliquam spem quietis erigere cœpisset, in ipso ineuntis adolescentiæ flore, acerba atque immatura morte raperetur? O fallaces hominum spes! O incerta vota! O lubrica & ancipitia humanæ vitæ curricula!*

Quid facto opus est in Confirmatione?

R. Tribus illis, quæ supra memoratæ sunt, partibus constabit Confirmatio, laude nimirum, consolatione, atque Parenæsi; laude mortui, consolatione propinquorum ac amicorum, & Parenæsi ad astantes. Quod attinet ad mortui laudes, vide quæ diximus de Panegyrico, a quo nimirum hoc tantum differt oratio funebris, quod audientium voluptatem sequatur & captet Panegyricus; funebris vero laudatio nihil nisi mœrori serviat atque tristitiæ, unde vitandum erit diligenter quidquid lætitiam gaudiumque posset animis ingenerare.

Hoc

(a) *Carolus IX, obiit anno 1574.*

Hoc artificium observare poteris in isto Horatii Carmine, ubi (a) Quintilii amici & affinis sui mortem lamentatur:

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? cui pudor & justitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando ullum invenient parem?

Mœrentium dolorem utcumque consolabitur; 1. Vitæ ab amico laudabiliter actæ felix recordatio. 2. Honores viventi mortuoque habiti, & omnia quæ virtutem illius testantur tum publica, tum privata monumenta. 3. Spes minime dubia de immortali ævo, quo ille inter felices animas in cœlo perfruitur, vel aliquando fruiturus est. 4. Filii nepotesque superstites, ad quos paternæ virtutis hæreditas transit.

Quod si forte pro patria pugnans occubuerit is, qui laudatur, tunc enimvero poteris vagari liberius in hoc uberrimo dicendi campo, quem tibi aperit Tullius, cum Martiam Legionem, quæ in (b) prælio Mutinensi fortiter pugnans cecidit, magnificentissime laudat Philippica 13. *Illi impii, quos cecidistis, etiam apud inferos pœnas parricidii luent: vos vero qui extremum Spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti. Brevis autem vobis vita data est, at memoria bene reddita vita sempiterna, quæ si non esset longior quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet?* Et post pauca: *Sed quoniam, Patres Conscripti, gloriæ munus optimis, & fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos: quibus optima hæc est quidem consolatio, parentibus quod tanta*

(a) *Quintilius poeta non contemnendus, Cremonensis dictus a Patria, diversus ab illo Quintilio Varo, qui Legiones amisit in Germania.*

(b) *In bello contra M. Antonium, in quo Hirtius & Pansa Consules cæsi.*

tanta Reip. præsidia genuerunt; liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis; conjugibus quod viris carebunt, quos laudare, quam lugere præstabit; fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident.

Denique adstantibus, earum, quæ celebrasti, virtutum recordatione stimulos admovere conaberis.

Quodnam esse debet Perorationis artificium?

R. Hæ sunt Perorationis partes. 1. Æternam apud Superos felicitatem apprecari mortuo. 2. Sempiternam eidem apud posteros exoptare ac polliceri memoriam. 3. Summum illius desiderium in auditorum animis excitare, his vel similibus Horatii verbis, de eodem Quintilio:

> Quis desiderio sit pudor aut modus
> Tam chari capitis? Præcipe lugubres
> Cantus, Melpomene, &c.

§. XI. De oratione Eucharistica.

Quid est oratio Eucharistica, seu Eucharisticum?

R. Oratio Eucharistica dicitur ea, qua ob acceptum insigne aliquod beneficium gratias agimus alicui; cujusmodi est luculenta illa oratio, qua Ausonius Orator & Poeta Gallus, Imperatori Gratiano discipulo quondam suo gratias egit pro Consulatu ab illo accepto. Traxit autem tum illud *Eucharistici* nomen a voce Græca *εὐχαριστεῖν, gratias agere*

Quot sunt præcipuæ partes Eucharistici?

R. Tres. 1. Significamus lætitiam obortam ex accepto beneficio. 2. Accepti beneficii magnitudinem amplificamus. 3. Gratum & memorem animum pollicemur.

Quodnam esse debet Exordium orationis Eucharisticæ?

R. Exor-

R. Exordium versari debet in aperto quodam candidoque dicendi genere, & magnam grati animi foras quodammodo erumpere gestientis significationem continere. Duci autem poterit 1. A beneficii magnitudine, cui, pro eo ac par est, verbis exornando, te imparem profitearis. Sic Tullius in oratione post reditum habita in Senatu: *Si, Patres conscripti, pro vestris immortalibus in me, fratremque meum, liberosque nostros meritis, parum vobis cumulate gratias egero; quaeso, obtestorque, ne mea natura potius quam magnitudini beneficiorum id tribuendum putetis. Quae enim tanta potest existere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando?*

2. Duci poterit Exordium ab excusatione diuturni silentii post acceptum beneficium. Hoc pacto Tullius exorditur suum illud eximium Eucharisticum ad Cæsarem pro impetrato M. Marcelli reditu: *Diuturni silentii, P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit; itemque initium quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi.*

Quid facto est opus in Eucharistici confirmatione?

R. 1. Amplificanda est & in bono lumine collocanda beneficii magnitudo. 2. Laudanda est persona, a qua profectum est beneficium.

Quomodo amplificanda est beneficii magnitudo?

R. Amplificabitur quadrifariam. 1. A persona quae gratificabitur, si rex, si in amplissimo dignitatis gradu collocata. Hinc enim augetur beneficii magnitudo 2. A persona cui gratificatur, si beneficium sit egenti collatum, si immerenti, si ad plures pertineat. 3. A re, qua gratificatur, si ho-

si honesta, si opportuna, si exoptata, si difficilis. 4. A ratione & modo; si non ægre, sed libenti animo; si non rogatu alieno, sed sponte: si non redditum sit, sed datum beneficium; si non tarde, sed cito & opinione citius. Ut enim est in veteri Proverbio, *Bis dat, qui cito dat*: & interdum etiam beneficii loco ducitur, si cito negetur. Unde in laudatissimo Epigrammate (a) auctoris incerti, sed veteris:

Cæsaris ad valvas sedeo, sto nocte dieque,
  Nec datur ingressus, quo mea facta loquar.
Ite, Deæ faciles, & vestro numine saltem
  Dicite divini Cæsaris ante pedes;
Si nequeo placidas affari Cæsaris aures,
  Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat, Abi.

Quidnam in Peroratione servandum est?

R. Accepti beneficii memoriam nunquam inte-rituram, & trabali, ut ita loquar, clavo figendam esse polliceberis. Ita Ausonius ait ubique sibi occurrere beneficia Gratiani, *in templo, in foro, in curia, in palatio, domi*. Sic etiam Mamertinus ad Imperatorem Julianum: *In referenda gratia hoc tibi polliceor, semperque præstabo, mihi nec in suggerendis consiliis veritatem, nec in adeundis periculis animum, nec in laboribus perferendis industriam defuturam*. Sed nullum quod sciam, illustrius exemplum afferri potest, quam Eucharisticum Æneæ ad Didonem, Æneid. 1.

O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos reliquias Danaum, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos
Urbe, domo socias. Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ, Dido: nec quidquid ubi-
  que est,
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Di tibi (si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant.

Vide

(a) *Apud Colomesium, & apud Barth. in Adversariis.*

Vide etiam apud Livium lib. 28. orationem Saguntinorum gratias agentium Senatui Rom. quod eorum caussa bellum adversus Hannibalem suscepisset. Vide in Bello Jugurthino orationem Bocchi regis ad Syllam. Habes quoque lectissimam illam epistolam, qua Tullius agit gratias Marcello ob supplicationem sibi ejus opera decretam.

§. XII. De Epinicio & Gratulatione.

Q*Uid est Epinicium?*
R. Est gratulatio ob reportatam victoriam. Sic autem nuncupatur a voce Græca νίκη, *victoria*.
Quodnam esse debet illius artificium & dispositio?
R. Exordium, si unquam alias, erit splendidum, floridumque, & hilaritatis plenum ac lætitiæ. Videtur autem abruptum magis esse debere, quam temperatum.

In confirmatione amplificabitur 1. Belli necessitas. 2. Belli difficultas. 3. Æquitas in suscipiendo, diligentia in apparando, virtus in gerendo, celeritas in conficiendo. 4. Enumerabuntur commoda & utilitates victoriæ, quæ timore populos, direptione urbes, vastitate Provincias liberaverit. Laudabuntur fortissimi viri, qui in bello strenue pugnantes cecidere. Ita Virgilius Euryalum Nisumque laudibus in Cœlum extollit, Æneid. 9.

Fortunati ambo: si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo;
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Sua etiam laus tribuetur præfectis, ducibusque præcipuis, qui in victoriæ partem aliquam venere. Ita Ruæus, (a) hisce inscriptionibus, Augusti sæculo dignis, consecravit nomen illorum, qui bellum Batavicum una cum Ludovico Magno administraverant.

LU-

(a) P. *Carolus de la Rue S. J.*

LUDOVICO PRINCIPI CONDÆO TRIBUS AD SENEFUM EXERCITIBUS FRACTIS.
HENRICO PRINCIPI TURRENIO, SERVATIS REGNI FINIBUS, PULSIS ULTRA RHENUM GERMANIS, EORUM EXERCITU QUATER CÆSO.
FRANCISCO MARESC. CREQUIO, DELETIS INCRUENTA VICTORIA GERMANORUM COPIIS, &c.

Peroratio vota continebit pro victoris incolumitate, gloria, felicitate, postquam Deo O. M. victoriarum largitori & bonorum omnium fonti, grates fuerint, ut par est, rite persolutæ.

Quod si non pro victoria, sed pro adepto insigni quopiam honoris ac dignitatis gradu, fiat alicui gratulatio; significabis 1. Quantam cœperis animo voluptatem ex illius nova dignitate. 2. Quanta sit etiam publica hilaritas, & lætitia. 3. Honoris & gradus amplitudinem verbis extolles. 4. Non casu, non (a) prehensatione, & ambitu, non precibus muneribusque, sed meritis rebusque gestis fuisse comparatum hunc honorem, quem multi ambierint, perpauci obtinuerint.

Pertinent etiam ad demonstrativum genus Soteria, Propempticon, Apobaterion, & Epibaterion.

Quid est Soteria?

R. Soteria vocamus orationis genus quoddam, quo restitutam alicui sanitatem gratulamur, & pro illius incolumitate & salute grates agimus Superis.

Quid est Propempticon?

R. Est Oratio, qua discedentem aliquem faustis

(a) Valet fere idem ac, *Raccomandazione*.

ftis omnibus, votisque prosequimur ; cujusmodi luculentum habes exemplum in egregio Horatii Propemptico, ad Virgilium Athenas proficiscentem:

Sic te Diva potens Cypri,
 Sic (a) fratres Helenæ lucida sidera;
Ventorumque regat pater,
 Obstrictis aliis, præter (b) Japyga;
Navis quæ tibi creditum
 Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
 Et serves animæ dimidium meæ.

Quid est Apobaterion?

R. Est oratio, quam habemus discedentes ex patria, vel ex alio quodam loco, ubi cum singulari benevolentiæ significatione sumus excepti. Hujus generis est Æneæ discedentis oratio ad (c) Helenum & Andromachem, Æneid. 3.

Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris æquor arandum:
Arva neque Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda. Effigiem Xanthi Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus: melioribus opto
Auspiciis, & quæ fuerit minus obvia Grajis.

Quid est Epibaterion?

R. Est oratio, quæ habetur ab illo, qui post longam peregrinationem, domum incolumis rediit. Vide Scaligerum lib. 3. Poetices.

CA-

(a) *Castor & Pollux.*
(b) *Japyx ventus flans ab Apulia, quæ olim Japygia dicebatur.*
(c) *Helenus Priami filius, vaticinio clarus, ex captivo factus Epiri Rex ab ipso Pyrrho.*

CAPUT II.

De orationibus, quæ pertinent ad genus deliberativum.

Quænam est materia generis deliberativi?
R. Illius materia sunt res omnes in manu & arbitrio nostro positæ: Ut enim ait Tullius, *Tollitur omnis deliberatio, si intelligatur quidquam fieri non posse, aut imponatur necessitas. Neque enim quisquam deliberat, qua ratione perpetuo dicturus sit; quoniam intelligit sibi moriendi necessitatem incumbere: neque quisquam deliberat quomodo volare possit; scit enim sibi alas non adesse.*

Quisnam est finis generis deliberativi?
R. Honestas, & utilitas.

Quænam orationes spectant ad genus deliberativum?
R. Pertinent ad genus deliberativum suasio, dissuasio, hortatio, dehortatio, conciliatio, concitatio, commendatio, petitio & consolatio.

§. I. De Suasione & Dissuasione.

Quid est Suasio?
R. Est oratio deliberativa, qua ostenditur quid faciendum sit. Dissuasione vero contrarium suadetur.

Undenam ducuntur argumenta Suasioni, vel Dissuasioni propria?
R. Ducuntur ab honesto, ab utili, a necessario, a facili, a jucundo, cum aliquid suadendum est; & e contrariis capitibus, cum est aliquid dissuadendum.

Quid

Quid est honestum?

R. Honestum id intelligimus, inquit Cicero; quod tale est, ut detracta omni utilitate, per se ipsum laudabile sit, & expetendum; v. g. si quempiam hortemur, ut M. Attilii Reguli exemplo malit ad mortem vel ad vincula reverti, quam datam hostibus fidem fallere. Ita Tullius in Maniliana probat suscipiendum esse bellum Mithridaticum, ut deleatur ignominia, quam Populo R. Mithridates inussit, cum una hora tot civium Romanorum millia jussit occidi. Ex hoc eodem loco Cato apud Lucanum lib. 9. animos militum accendit sola gloriæ commendatione; ad aggrediendum iter periculosum, ac difficile:

O quibus una salus placuit mea castra secutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.

Quam orationem claudit pulchra illa sententia:

— Serpens, sitis, ardor, arena,
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris:
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum;

Quid vocas Utile?

R. Utile est, quod propter commodum expetitur; sive adjunctam habeat honestatem, ut gloria, honor, dignitas; sive non habeat, ut divitiæ, valetudo, tranquillitas, malorum depulsio, &c. Ex his locis Catilina conjuratos hortatur, apud Sallustium, ad nefarium facinus, quod ille maximum atque pulcherrimum vocat: ***Nobis***, inquit, ***est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior. Denique quid reliqui habemus, præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? en illa, illa, quam sæpe optastis, libertas; præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit.*** Curio (a) similiter, apud Lucanum lib. 1. spe-

(a) *Curio homo lingua venalis, ut se ære alieno liberaret, Cæsarem ad civile bellum impulit.*

ſpecie utilitatis Julium Cæſarem ad bellum civile ſic hortatur:

Bellantem geminis tenuit te Gallia luſtris,
Pars quota terrarum! Facili ſi prælia pauca
Geſſeris eventu, tibi Roma ſubegerit orbem.

Quid vocas Neceſſarium?

R. Neceſſarium dicitur id omne, ſine quo ſalus, aut dignitas ſtare non poteſt. Seu mavis cum Scaligero, neceſſarium dicitur, quod ita utile eſt, ut ſine eo res NEC ESSE poſſit, unde & nomen derivatum eſt. Hujuſce porro loci magna vis eſt. Multi enim ſunt animis adeo ſegnibus, ut tum quoque cum aliquid honeſtum & utile eſſe norunt, tamen ſi res ſit cum magno labore conjuncta, facile terreantur: apud tales ratio neceſſitatis eſt (a) compendioſa via ad perſuadendum. Ejuſmodi eſt Ciceronis argumentum in 4. Philipp. *Agitur enim non qua conditione victuri, ſed victuri ne ſimus, an cum ſupplicio, ignominiaque perituri.* Ab hoc potiſſimum loco, itemque ab honeſto Æneam Hector ad fugiendum hortatur, Æneid. 2.

Heu! fuge nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hoſtis habet muros, ruit alto a culmine Troja;
Sat Patriæ Priamoque datum: ſi Pergama dextra
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent;

Quid vocas Facile?

R. Facile illud eſt, quod ſine magno labore, ſumptuve, aut moleſtia, brevi tempore fieri poteſt: quæ ſane omnia maximo ſunt ad perſuadendum momento. Fruſtra enim ſuadetur illud, quod vix, aut ægre admodum fieri poſſe creditur. Ac propterea, ſi quis hac de re ſcrupulus hæreat auditoribus, is ante omnia ex illorum animis omnino erit eximendus. Ita Venerem

(a) Ital. *Scorciatoja.*

nerem in suam sententiam conatur allicere astuta Juno, Æneid. 4.

Mecum erit iste labor: nunc qua ratione quod instat
(a) *Confieri possit, paucis, adverte, docebo:*

Quid vocas Jucundum?

R. Jucundum dicitur, quod honestam habet voluptatem vel animi, vel corporis: sic nuncupatum, inquit Tullius, *a juvando*, quod nempe juvet vel utrumque, vel alterutrum. Hinc ducitur illud argumentum Tullii: *Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus meis a te provisum esse intellexero, magnam te ex eo & perpetuam voluptatem esse capturum.*

Quaenam in suadendo, vel dissuadendo praecipue spectanda sunt?

R. Tria. 1. Quid sit, de quo deliberetur. 2. Qui sint, qui deliberent. 3. Quis sit, qui suadeat, vel dissuadeat.

Quid spectandum est in re, de qua deliberatur?

R. Quinque illa, de quibus egimus enucleate: An sit honesta, an utilis, an necessaria, an facilis, an jucunda.

Quid spectandum est in iis qui deliberant?

R. Caput artis est nosse penitus animos eorum, qui deliberant, eorumque voluntates ac naturas festine odorari, ut possis ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere, & suo, quod ajunt, hamo quemque piscari.

Prudentis ergo Oratoris erit videre an agat cum regibus, aut viris principibus, apud quos, ut ajebat Parysatis illa, verbis byssinis opus est, an cum nobilibus, quos honesta ac laudabilia tangunt; an cum plebe, bellua multorum capitum, apud quam negotium tractare longe difficillimum est. Neque vero satis est dignitatem spectare:

(a) Confieri *pro* confici, *vox parum usitata*.

ctare: sed habenda est etiam ingenii, morum & ætatis ratio, ut rem facilius possis ad exitus optatos perducere. Jure igitur merito de variis variarum ætatum, conditionum & gentium moribus hic agi solet ab artis Magistris, & in primis ab Aristotele.

§. II. De variis variarum ætatum moribus.

Q*Uinam sunt juvenum, virorum, ac senum mores?*

R. Ætatis cujusque mores graphice admodum ita pingit Horatius in Arte poetica:

Imberbis Juvenis tandem, custode remoto,
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris;
Sublimis cupidusque,& amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas animusque virilis
Quærit opes & amicitias, inservit honori:
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat;
Dilator, (a) spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, censor castigatorque minorum.

Juvenes igitur flagrant cupiditatibus, facile & vehementer exscandescunt, unde adolescentia quidam quasi rationis æstus appellatur; honestum utili præferunt, aperti sunt, candidi & misericordes: sua enim innocentia ceteros metiuntur. Prodigi sunt & in sumptus effusi; nondum enim egestatem sunt experti: ad risum & dicacitatem sunt propensi.

At

(a) *Tardus ad bene sperandum ob timiditatem.* δυσέλπις, *ait Aristoteles; vel, ut alii malunt, spem vitæ longam habens.*

At dispar omnino est senum ratio. Facile succensent illi quidem, sed non æque parent iræ; quia, ut scite Horatius, *Lenit albescens animos capillus, Litium & rixa cupidos protervæ*. Parum sperant, quia diu vixerunt; pauca moliuntur, præteritis gaudent, facetos ac ridiculos odere, soliciti sunt officiorum exactores, ad rem attenti, lenti, difficiles, suspiciosi; sæpe enim aut se aut alios delusos meminerunt. Præterea queruli sunt morosique, ut ait Tullius, *in fragili corpore odiosa est omnis offensio*.

Denique verbosi sunt & loquaces, quia dicere amant. Unde non inscite Cornelius Gallus, seu potius Maximianus:

> Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.
> O sola fortes garrulitate senes!

Sed facile hoc illorum ætati condonandum; ob egregias virtutes, quibus hoc vitium abunde compensant.

Virilis ætas senectutem inter & adolescentiam interjecta, ac in quodam quasi confinio posita utriusque virtutum vitiorumque particeps est, & utriusque indolem, velut ex vicinia, trahit. Juventus fortis est, sed intemperans; senectus est temperans, sed timida; virilis ætas fortis est sobriaque. Juventus nimis credula est; senectus nimis suspiciosa; virilis ætas, pro rerum natura, vel confidit, vel diffidit. Juventus quærit honestum potius quam utile: senectus utile magis quam honestum, virilis ætas & honestum simul & utile.

Puerilis denique ætas effervescit facile; mutatur in horas; magnam habet indolem ad virtutem; gloriæ honorique mirum in modum velificatur. Audi Tullium libr. 5. de Finibus: *Quanta sunt puerorum decertantium studia! ut illi efferuntur lætitia, cum vicerint! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores non perferunt, ut æqualium principes sint!*

§. III. De moribus Nobilium, Divitum & Plebejorum.

Quinam *sunt Nobilium mores?*

R. Nobiles sunt honoris ac gloriæ vel maxime studiosi, &, si Apulejana voce uti fas est, sunt in primis *honoripetæ*. Solent autem non solum ignobiles aspernari, sed etiam homines novos, qui primi ex sua gente sunt honores consecuti. Ita Metellus contemnebat C. Marium, illique Consulatum invidebat. Unde sic de eo Sallustius: *Inerat contemptor animus, & superbia, commune nobilitatis malum.*

Quinam sunt Divitum mores?

R. Divites, si præsertim divitias sunt nuperrime consecuti, contumeliosi ferme sunt ac superbi. Nempe facile sibi persuadent præstare se ceteris, quia divitias possident, quibus venalia sunt omnia. Præterea solent mollitia luxuque diffluere, ut notat Juvenalis Sat. 6.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles.

Hanc, quam memoravimus, novorum divitum arrogantiam scite tangit Cicero, cum de T. Roscio ait, *Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena*: & Maro, cum ait de Numano,

Vociferans, tumidusque novo præcordia regno:

Qui sunt denique Plebejorum mores?

R. Germanos plebis mores suis coloribus scite pingunt Sallustius, Horatius, Tacitus, & Seneca, dum ajunt, *plebem esse belluam multorum capitum .... pluma, & vento mobiliorem esse ....: opinione duci magis quam veritate ...... ire quo itur, non quo eundum est .... privatis commodis servire potius quam publicæ vel honestati, vel cupiditati..... cupidam esse rerum novarum ....: Denique pessimi argumentum turbam esse.*

De variis Reipublicæ formis.

Neque vero in deliberatione satis est ætatis & conditionis cujusque indolem ac studia diligenter spectare. Spectandi præterea sunt Reipublicæ mores, qui scilicet, pro varia (a) politiæ forma, solent maximopere variare. Aliter igitur agendum apud Gallos Hispanosque & (b) Lusitanos, quibus Rex unus summo cum imperio præest: aliter apud (c) Helvetios, Batavosque ac Venetos, apud quos vel plebs, vel Optimates dominantur.

Quid est (d) *Monarchia?*

R. Est unius dominatus, communem utilitatem spectans.

Quid est (e) *Aristocratia?*

R. Est optimatum imperium, cujusmodi est apud Venetos. Quod si optimates illi pauci sint, & propriæ, non vero publicæ serviant utilitati, vocabitur (f) *Oligarchia.*

Quid est (g) *Democratia?*

R. Est imperium populi, cujusmodi ferme est apud Helvetios. Quod si plebs infima dominetur, vocabitur (h) *Ochlocratia*. Addi potest *Anarchia*, quæ solet ex turbulentissimis temporibus exurgere, cum sine rege ceterisque magistratibus, fluctuat labefactatum imperium.

De variis variarum gentium moribus.

Varios præterea gentium mores, ingeniumque accurate cognosces, & illorum germanam indolem perspectissimam habebis, ut possis ad illam sermonem accommodare, ut monet Horatius:

 Inter-

(a) Reipublicæ. (b) *Porthoghesi*. (c) Svizzeri ed Ollandesi.
(d) Μό'νος, *solus*, & α'ρχό's, *princeps*.
(e) Δ''ρισοι, *optimates*, & κρα'τος, *imperium*.
(f) Ο'λίγος, *paucus*, & α'ρχὴ, *principatus*.
(g) Δῆμος, *populus*, & κρα'τος, *potentia*.
(h) Ο''χλος, *turba*, & κρατέω, *dominor*.

Intererit multum (a) Davusne loquatur; an heros,
Colchus, an Assyrus, Thebis nutritus, an Argis.

Quænam igitur est variarum Europæ Gentium indoles?

R. Galli sunt humani, hospitales, candidi, urbani, lauti, audaces, bellicosi, mobiles, præcipites, longæ spei impatientes, faciles ad obliviscendas injurias æque ac benefacta; acribus initiis, injurioso fine; & ut ait Florus de veteribus Gallis, primo impetu plusquam viri, secundo non item; magni peregrinatores; unde jure dictum est, *Nullum bellum sine milite Gallo*.

Germani sunt simplices, aperti, fortes, animarum prodigi, veri amici, verique hostes, inquit Scaliger. (b). Belgæ Batavique medium ferme tenent Gallos inter atque Germanos. Hispani sunt constantes, sedati, lenti in consiliis, laboris ac disciplinæ tolerantes: vile ministerium, etiamsi spes magna affulgeat, aversantes. Itali sunt cunctatores, ingeniosi, sapientes, mentis excelsæ ac reconditæ, & ad regendum omnino nati, ut ait Virgilius:

Tu regere imperio populos Romane memento:
Hæ tibi erunt artes.

Poloni sunt feroces, bellicosi, & quos arte magis, quam vi possis superare; Moscovitæ contra fraudulenti, &c. Longum esset cetera persequi. Plura qui volet, adeat quæ ingeniose & eleganter de præcipuis gentibus disseruit Joannes Barclajus in (c) icone animorum. cap. 3. & sex proxime sequentibus. Adeat item (d) Calvidii Læti Callipediam, ubi versibus elegantissimis di-

ver-

(a) Davus *persona comica*, & *nomen servi*.
(b) Ital. *Fiamminghi ed Olandesi*.
(c) Ital *Pitture. Immagini*, (d) *Verum nomen*, *Claudius Quilletus Medicus Gallus*, *vixit seculo proxime elapso*.

versarum Europæ gentium mores & ingenium diligenter expressit.

Quid denique spectandum est in illo, qui suadet vel dissuadet?

R. Tria maxime in illo spectanda sunt, prudentia, probitas, & benevolentia. Prudentia quidem, *quia iis fidem habere solemus*, inquit Tullius libro de Officiis, *quos plus intelligere ac videre, quam nos, arbitramur*. 2. Probitas, *quo quis versutior, & callidior, hoc invisior, & suspectior, detracta opinione probitatis*, ait idem Tullius; *& si quem, licet peritum, ac prudentem cæteroqui, fallacem tamen, & sui potius amantem credamus, quam nostri, ejus consilium penitus aversabimur*.

3. Spectatur in suadente benevolentia: quia ut vel maxime prudens & probus quis credatur, tamen si odisse nos, vel alteri parti melius velle existimetur, nequaquam nobis bene consulere velle judicabitur. Tria hæc complexus videtur Cicero, cum lib. 2. ad Atticum ait: *Nunc mihi, & consiliis opus est tuis, & amore, & fide. Quare advola: expedita erunt omnia, si te habebo*. Nam consilium ad prudentiam pertinet, fides ad virtutem, amor ad benevolentiam.

§. IV. De Hortatione, & Dehortatione.

Quid differt Hortatio a Suasione?

R. Hoc differt, quod suadeamus ratione & consilio, hortemur vero motu atque impulsu. Unde Suasio proprie pertinet ad intellectum; Adhortatio vero pertinet ad affectum. Suasio docet, eoque plus habet argumentorum; Adhortatio vero inflammat, ac propterea plus habet caloris. Suasio facit, ut scias quid facto sit opus; Hortatio facit, ut velis & ausis, illiusque partes sunt, faces ac stimulos veluti subjicere auditorum animis, illosque ad rem bene gerendam inflammare. Deni-

que Suasio pertinet ad confirmationem, Exhortatio vero conclusioni reservatur.

Quinam affectus sunt in hortatione concitandi?

R. Excitabis 1. Spem & fiduciam. 2. Amorem & desiderium rei, quæ suadetur. 3. Æmulationem alienæ gloriæ, quæ est potentissimum ad feriendos animos telum. 4. Laudabis virtutem illorum, quos hortaris, illosque hortatu nequaquam indigere dices: Ut enim observat Tullius, in excitando & in acuendo, plurimum valet, si laudes eum, quem cohorteris. Ita socios recordatione virtutis inflammat Mnestheus apud Virg. Æneid. 5.

At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus. Nunc nunc insurgite remis,
Hectorei socii. Trojæ quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis syrtibus usi;
Jonioque mari, (a) Maleæque sequacibus undis:
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo.
(Quamquam oh!) sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.
Extremos pudeat rediisse. Hoc vincite, cives;
Et prohibete nefas....

Illustre adhortationis exemplum habes apud Curtium, lib. 7. ubi Alexander trecentos juvenes adhortatur, ut invadant præruptam illam & undique abscissam Sogdianorum petram, quæ in triginta stadiorum altitudinem eminebat, & quam Arimazes cum triginta armatorum millibus obtinebat.

Alexandri hortatio ad trecentos milites.

Vobiscum, o juvenes, & mei æquales, urbium invictarum ante munimenta superavi: montium juga

(a) *Malea promontorium in mare procurrens, qui periculosam reddit navigationem.*

juga perenni nive obruta emensus sum: angustias Ciliciæ intravi. Indiæ, sine lassitudine, vim frigoris sum perpessus: & mei documenta vobis dedi, & vestri habeo. Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem barbari obsident, cetera negligunt, nullæ vigiliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. Invenietis viam, si solerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. NIHIL tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo quæ ceteri desperaverunt, Asiam habemus in potestate. Evadite in cacumen, quod cum ceperitis, candidis velis signum mihi dabitis. Ego copiis admotis, hostem in nos a vobis convertam. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, (a) talenta decem: uno minus accipiet, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines servabitur proportio. Certum autem habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem.

Dehortationis vero luculentissimum exemplum habes apud Livium, lib. 23. in oratione Calavii civis Campani, qua filium suum Perollam ab Hannibalis cæde dehortatur.

Dehortatio.

Per ego te, fili, quæcunque jura liberos jungunt parentibus, precor, quæsoque, ne ante oculos patris facere, & pati omnia infanda velis. Paucæ horæ sunt, intra quas jurantes per quidquid Deorum est, dextras dextræ jungentes, fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis (b) essemus: Digressi a colloquio, extemplo in eum armamur. Surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Hannibale es: eam ipsam mensam cruentare vis hospitis sanguine? Hannibalem modo pater filio meo potui placare; filium

 Han-

(a) *Talentum Atticum respondet Realibus, seu Juliis Romanis* 600.

(b) *Ita germana lectio, pro ederemus.*

Hannibali non possum? Unus aggressurus es Hannibalem? Quid illa turba tot (a) *libertorum, servorumque? Quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextræ? torpescentne in amentia illa? Vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret populus Rom., tu sustinebis? Et si auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigendusque est. Deterreri hic sine te potius, quam illic vinci. Valeant preces apud te mea, sicut pro te hodie valuerunt.*

§. V. De Concitatione, & Conciliatione.

Q*uid est Concitatio?*

R. Est virulentum quoddam orationis genus, quo multitudinis præsertim animi, veluti quodam seditionis flabello, concitantur. Exemplum unum afferam ex Tacito, lib. 1. Annalium, ubi ait fuisse in castris Percennium quemdam gregarium militem, hominem turbulentum & procacem, qui commilitonum seditionem conflare conatus est hac artificiosissima concione: *Cur paucis Centurionibus, paucioribus Tribunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum, & nutantem adhuc Principem precibus, vel armis adirent? Satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent. Ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo eosdem labores perferre:* & paulo post: *Denis in diem assibus animam, & corpus æstimari. Hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam Centurionum, & vacationes munerum redimi: at Hercule verba, & vulnera, duram hyemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem sempiternam.*

Con-

(a) *Melius quam* liberorum, *ut vulgo legitur.*

Concitationi opponitur conciliatio, qua vel nobis amorem alicujus conciliamus, vel dissidentes partes in concordiam gratiamque reducere conamur. Sic olim Germanicus Cæsar tumultuantes legiones prudenti oratione sedavit, & Julius Cæsar exercitum compescuit, *Quirites* appellando, pro militibus, qua una voce obortam seditionem repente compressit.

§. VI. De Commendatione.

QUot *sunt præcipua Commendationis capita?* R. Tria. 1. Caussas Commendationis exponemus, idque modeste & verecunde; ut quod bene quis de nobis, aut de nostris meritus sit: quod simus cum illo vel sanguine, vel affinitate, vel amicitia conjuncti: quod perspectissima nobis sit illius humanitas, fides, eruditio, virtus, &c. Addere poterimus, scire nos Horatianum illud Epist. lib. 1.

Qualem commendes etiam atque etiam aspice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Sed viri integritatem & præclaras animi dotes nobis exploratissimas esse. 2. Exponemus negotium, cujus caussa commendatur a nobis quispiam. 3. Orabimus atque obtestabimur, vel dicemus, nos pluribus nolle contendere, ne de ejus, quem rogamus, humanitate diffidere videamur. 4. Denique tum nostro, tum ejus, quem commendamus, nomine, omne grati ac memoris animi officium pollicebimur.

Est & obliquæ Commendationis genus, quo simulamus nos commendare nolle, quem interim vel maxime commendamus; ut si dicas non quidem commendare te alteri Sextium velle; sed orare solum, ut propius hominem noscere

ne gravetur. Sperare enim futurum, ut, cum gratias agere soleant, qui commendarunt, alter tibi gratias agat, per quem viri tanti notitiam sit consecutus.

§. VII. De Petitione.

QUid est Petitio?

R. Petitio est oratio, qua aliquid postulamus vel pro nobis, vel pro alio. Posterior hæc vocatur intercessio. Utriusque artificium paucis complexus est Servius, ubi Junonis ad Æolum orationem enarrat.

Rhetorum, inquit, est in omni petitione hoc observare. Ut facile præstari possit quod petitur. 2. Ut sit justa petitio. 3. Ut habeat modum, & adhibeatur in illa moderatio: hoc est ut si majora dari non possint, minoribus certe contenti videamur. 4. Ut sequatur expedita remuneratio. Quatuor hæc observare licet in Junonis petitione. 1. Enim docet rem facili negotio fieri posse:

Æole (namque tibi Divum Pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos:)

2. Justam esse petitionem ostendit, dum inimicam gentem insectatur:

Gens inimicia mihi Tyrrhenum navigat æquor.

3. Adhibet moderationem, dum alterutro contenta est:

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversas, & disjice corpora ponto.

4. Beneficii præmium pollicetur:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Dejopejam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Quam-

Quamplurima etiam petitionum exempla suppeditabunt epistolæ Ciceronis, quas inter, sideris instar, elucet elegantissima illa ad Lucejum, quæ est 12. libri 5. ad familiares, qua Lucejum enixe rogat, ut quæ in Consulatu suo gesserat Tullius, ea litteris quam primum velit consignare. Eam autem sic orditur: *Coram me tecum....*

§. VIII. De Consolatione.

CONsolator, vel minor est, vel æqualis, vel major. Minori cautius & mollius erit agendum: Amorem suum in primis testabitur; & ne de suo plus altero sapere velle videatur, ea quæ dicto opus erunt, ex quoquam Philosopho, vel alio summæ prudentiæ viro se aliquando audisse profitebitur. Æqualis pro communis amicitiæ jure facere se dicit. Major aget liberius, adeo ut, si quis immoderatius dolorem ferat, audeat etiam increpitare, sed leniter & amice.

Scite omnino argumentum illud tractat Scaliger, libro 3. de Arte Poetica, cap. 123. *Consolator*, inquit, *aut est major, aut minor, aut æqualis. Magnitudinem intelligo aut imperio, aut dignitate, aut opibus, aut sapientia, aut ætate. Aliter enim consolabitur Nasonem Livia; aliter Liviam Naso. Hoc spectat ad Imperium. Dignitas autem etiam sine Imperio esse potest. Veluti si pater filium, Ciceronem Pompejus. Opibus, ut si e plebe quempiam clientem suum Crassus. Sapientia, quemadmodum Lucilium, aut matrem Seneca. De ætate, non opus est exemplis. Major interponet auctoritatem; etiam objurgabit. Sapiens opponet etiam disputationem. Sententiæ huic crebriores. Minor ostendet affectum: sese id a sapientibus accepisse. Æqualis testabitur amicitiam, jus commune benevolentiæ.*

Si mœrentis dolor sit adeo gravis, & adeo recens, ut medicinam videatur respuere, bipartita erit oratio. Priori parte affirmabimus parum

ido-

idoneos esse nos, qui solemur alium, cum vel ipsi quoque consolatione plurimum egeamus: simulque privati nostri doloris caussas afferemus. Addemus non nos modo, sed omnes etiam bonos dolere, quod ipsum tamen qualecumque mœrenti solatium debet afferre: quia scilicet

(a) Levius communia tangunt.

Altera vero parte afferemus, quæ leniendo dolori sunt idonea; qualia sunt trita hæc & pervulgata. 1. Vitæ communis conditio, quæ multis malis sit obnoxia. 2 Ejus, quem consolamur, doctrina, virtus, animi magnitudo. 3. Inutilitas & damnum, unde dolor augeatur, non corrigatur. 4. Patientiæ vis, quæ mitiget omnia, juxta illud Venusini Poetæ:

Durum; sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

5. Quam sit honestum in altissimo divinæ voluntatis consilio semper acquiescere. 6. Quam sit sapiente dignum, quamque laudabile sit, ratione consilioque mitigare dolorem illum, qui die ipsa ac tempore tandem aliquando defervescet.

Ad genus judiciale, quod *bellum togatum* jure vocare possumus, pertinent duæ orationum species, accusatio nimirum atque defensio; quæ non alia præcepta desiderant, quam quæ sunt hactenus a nobis allata: cum præsertim veterum judiciorum ratio fuerit prorsus immutata.

Finis Libri Quarti.

A R-

(a) *Claudianus.*

ARTIS RHETORICÆ

LIBER QUINTUS.

DE PRONUNTIATIONE.

Superest Pronuntiatio, sive actio; postrema quidem oratoriæ facultatis pars, si ordinem in tractando consideres: sed tanti tamen momenti, ut primas, secundas, & tertias ei Demosthenes merito & jure tribuerit.

Quid est Pronuntiatio?

R. Est vocis gestuumque, pro rerum verborumque varietate, apta conformatio. Quanta porro sit illius vis & utilitas, docet Tullius, cum ait, infantes & indisertos homines, actionis dignitate, eloquentiæ sæpe fructum palmamque tulisse: disertos vero bene multos, actionis deformitate, infantes fuisse judicatos. Hinc Pronuntiatio recte vocatur ab eodem Tullio. *Quædam corporis eloquentia*; & alibi, (a) *Sermo corporis* ab eodem etiam appellatur.

Quot res sunt ad recte pronunciandum necessaria?

Tres, memoria, vox, & gestus. Est enim memoria quasi fundamentum actionis, de cujus vi gratiaque multum depereat necesse est, si memoriter non pronuntietur oratio, & si orator non possit a commentariis oculos & vultum avertere.

Viris

(a) *Ad Brutum.*

Viris tamen principibus, & in publica re vehementer occupatis vitio verti nequit, si recitent commentario; ut olim Augustus, qui, ne memoriæ subiret aleam, vel in ediscendo sibi tempus abiret, fere de scripto dicebat; ut auctores sunt Svetonius, & Dio. Itemque Patrum nostrorum memoria Carolus V. ad Belgii Proceres orationem e scripto recitavit, cum sese regno Bruxellis abdicaret, illudque Philippo filio traderet. Datur quoque eadem venia ægrotis senibusque; aliis vero nequaquam.

§. I. De Memoria.

Quid est Memoria?

R. Memoria, ut est eloquentiæ pars, definitur a Tullio, *Firma rerum ac verborum recordatio*. Est autem duplex memoriæ genus. Alia est artificialis, alia naturalis.

Quid est artificialis memoria?

R. Artificium memoriæ a veteribus traditum; constat locis & imaginibus. Loci se habent instar chartæ, imagines vero instar Scripturæ. Hanc artem primus apud veteres Simonides prodidisse, apud recentiores Raymundus Lullus illustrasse traditur. Et vero iis, qui memoria valent, minime necessaria est, qui non valent, prorsus inutilis. Tu illam modo exerceto, ediscendis ad verbum, ut ait L. Crassus apud Cic. lib. 1. de orat. quamplurimis & tuis scriptis & alienis: quod facilius fortasse præstabis, si, ante quam cubitum eas, attente ea, quæ mane voles ediscere, semel, aut iterum legas. Nisi te hæc exercitatio juverit, nihil sane in arte, quo possis juvari, reperio.

§. II. De Voce.

AD *Actionis usum ac laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet*, inquit Tullius de Oratore; *neque tam refert qualia sint quæ dicas, quam quomodo dicantur.*

Quæ-

Quænam igitur circa vocem sunt observanda?

R. Tres hasce potissimum leges diligenter observabis. Prima lex hæc est, ut dilucide, (a) articulatim & sincere pronuntietur, ita ut integra verba, syllabæque omnes proferantur. Nolim tamen syllabatim sic pronunties, quasi si litteras computando adnumerares, quod esset molestum ac putidum.

Ad eamdem legem pertinet etiam, ne volubili quadam præcipitique celeritate dicendi incitata feratur oratio; sed vox respiratione recreetur, & spiritus inter dicendum suspendatur identidem, & auditoribus spatium aliquod cogitandi relinquatur.

Secunda lex hæc esto, ut pro argumenti, motuumque præsertim varietate, vox etiam opportune varietur, & utcumque se affectum videre volet Orator, & audientium animos moveri, ita etiam certum vocis sonum adhibeat. Iracundia postulat vocis genus acutum, incitatum, crebro incidens: miseratio & mœror flexibile, plenum, flebile, interruptum: voluptas effusum, lene, tenerum, hilaratum: metus demissum, hæsitans, abjectum, &c.

Præterea mutanda tibi vox erit pro variis orationis partibus. Aliam enim vocem flagitat Exordium, aliam Narratio, aliam Confirmatio, aliam Peroratio.

In Exordio, nisi forte indignatione constet, voce utendum submissa ac verecunda. Nec debet Orator, simul ac dicturus prodit, (b) perfricare frontem, & in verba statim erumpere. Ceteroqui futurum est, ut feroculum Oratorem jure omnes aversentur. Sed oportet, ut paululum cogitatione quasi defixus moretur. Idque tum quod auditores hæc Oratoris cura delectet; tum ut interea ipse se colligat, & ad dicendum componat. Ita Ulysses apud Nasonem paulisper consistit, oculis

(a) Ital. *Spiccatamente*.
(b) *Mostrarsi sfacciato*.

culis in terram defixis, priusquam suam eloquentiam torrentis instar effundat (a):

;... Oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoque resolvit
Ora sono, neque abest facundis gratia dictis;

Ab Exordio paulatim insurgit vox: ac in narrando quidem, voce utimur aperta simplicique, qualis fere est in sermone familiari. In Confirmatione & in argumentatione præsertim, voce utimur acriori. In Peroratione demum, quasi parta victoria, vox solet esse excitatior, ut ita ostendat Orator, se niti bonitate caussæ, magnamque fiduciam in auditorum probitate prudentiaque collocare.

§. III. De monotonia & cantu.

GRatæ huic varietati opponitur e diametro unus ille insulsusque vocis tenor, quem Græci *monotoniam* vocant, & qui non modo dicentem enecat, sed etiam audientes exanimat, & unde omnis orationis decor ac venustas deflorescit.

.... Ut citharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem, inquit Horatius.

Huic, quam tantopere commendamus, varietati opponitur etiam cantus, qui nihil aliud est, si quæris, quam clamosa quædam, & uno ferme tenore subsultans nænia.

Qua ratione huic vitio poterit occurri?

R. Huic incommodo remedium adhibebitur, 1. Si pueri rebus humilibus ac quotidianis æquabiliter & rotunde pronuntiandis assuescant, neque vero statim ad tragicam granditatem procurrant. 2. Si eorum, quæ pronuntiant, germanum sensum penitus animadvertant. 3. Si interdum vernacula, non illa inflata tragicaque, sed simplicia & quotidiana pronuntient.

4. Exer-

(a) *Metamor. lib. 13.*

4. Exerceantur aliquamdiu in orationibus illis, quæ varios motus ac vocis inflexiones efflagitent; ut videant quid submisse ac leniter, quid festive, quid atrociter, quid sedate, quid concitatius dicendum sit. 5. Denique ubi illa pronuntiationis quasi tyrocinia posuerint, poterunt citra periculum in rebus grandioribus tragicisque versari.

Tertia circa vocem lex hæc est, ut ea, pro amplitudine loci, & auditorum multitudine, vel intendatur, vel remittatur; sed tamen nec ascendat ad supremum, nec ad extremum descendat. Nam vox si ima sit, vim non habet; si vero nimium acuta sit contentaque, delicatas ac teretes urbanorum hominum aures offendet.

Scio equidem hoc esse plebeculæ rudioris ingenium, ut vocalissimum quemque & valentissimum lateribus, ita optimum oratorem judicet, nullamque putet egregiam, nisi quæ (a) *pontem indignetur*, actionem, in qua scilicet & clamosæ fauces, & vox ululans, & rigidi vultus torvitas, & pedum supplosiones, & brachiorum remigatio, & totius corporis dissoluta quædam, intemperansque jactatio, & ilia denique inflata rumpantur.

Ciceroni vero longe alia mens erat. Ajebat enim venustissime, clamosos hujusmodi *latratores* verius quam oratores, similes esse claudorum, qui cum ambulare non possint, ad equum confugiunt. Ita illi, in illa (b) Stentorea voce tamquam in jumento, suam omnem apud imperitos fiduciam reponunt; nec magis hoc nomine possunt Oratores dici, quam bajulus possit dici citharœdus.

§. IV. De Gestu.

VOcem subsequi debet Gestus, & varios animi sensus cum illa simul aperire. Qua de re

(a) *Pontem indignatus Araxes*: *Virg.*

(b) *Stentor quinquaginta hominum clamorem magnitudine vocis adæquabat. Homero vocatur* χαλκόφωνος, *vocem æream habens.*

re colligemus ex veteribus ea tantum, quæ sæculi nostri moribus sunt accommodata. Multa siquidem ex antiquorum gesticulatione prorsus obsolevisse videmus.

Quid est Gestus?

R. Gestus, inquit Valla, est actio quædam & quasi pronuntiatio corporis; seu mavis cum Quintiliano, *Gestus est totius corporis motus & conformatio*.

Quid in gestu generatim & universe cavendum est?

R. 1. Nihil in illo sit effœminatum & molle; nihil nimis exquisitum, aut elegans; nihil quod affectatam quamdam diligentiam artemque redoleat. Monet enim Fabius, actionem non esse deliciis nimiaque cura molliendam, & comptis illis delicatisque Oratoribus sæpenumero solet evenire, quod olim Sybaritarum equitatui contigit. Cum enim gens effœminata, & chorearum ad insaniam avida, suos etiam equos ad numerum synphoniamque saltare docuisset; cum deinde ex umbraculis in solem ac pulverem contra Crotoniatas hostes fuit illis prodeundum, histriones illi equi, tubarum & martis ignari, motibus compositis, saltibusque numerosis repente lascivientes, se & exercitum totum misere perdiderunt. Ita umbratiles illi Oratores ab imis unguiculis ad verticem usque venustuli, quando ex domestica exercitatione, in medium agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque aciem forensem prodierunt, & se & caussas suas in magnum quoddam discrimen conjiciunt.

2. Nihil in gestu sit durum, aut agreste, ne dum mollitiem fugimus, in contrarium rusticitatis vitium videamur incidere. Quamquam, si in alterutro peccandum esset, facilius excusaretur rustica quædam simplicitas, quam putidiuscula gestus, vocis & habitus affectatio.

Quid de totius corporis motu præcipiendum?

R. Præcipitur 1. Ut status corporis sit celsus, & ere-

& erectus, & trunco magis toto, virilique quadam laterum inflexione se se Orator moderetur. 2. Ne in statuæ morem obrigescat, quasi si veru deglutisset, ut facete ajebat Epictetus. 3. Ne crebris & incompositis corporis commotionibus vehementius agitetur, more furentis Sibyllæ,

. . . . Cui pectus anhelum
Et rabie fera corda tument . . . :

Vitiosum quippe est huc illuc cursitare: quod olim exprobratum fuit Domitio Afro, qui *non agere, sed satagere*, non illepide dicebatur. Et cum alius quidam non minus actuosus Orator multum concursasset in dicendo, facete rogavit eum adversarius Virginius; *Quot demum passuum millia declamasset?* Cassius quoque Severus adversus circumcursitantes hujusmodi Oratores solebat poscere lineam, quæ immodicas illorum excursiones prohiberet.

Quid in capitis, & oris totius conformatione servandum est?

R. 1. Vitiosa est frequentior capitis jactatio, (a) Mænadum instar, de quibus Catullus Carmine de Berecynthia & Athi: Capita Mænades vi jaciunt hederigeræ: aut instar famosæ illius Messalinæ, de qua Tacitus 11. Annalium: *Ipsa crine fluxo, Thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus gerere cothurnos, jacere caput*. Non tamen dedecet aliquando vel annuendo confirmare, vel abnuendo negare: vel capitis in latus inclinatione languorem, & aversione indignationem, aut alio simili motu dubitationem, & ejusmodi affectus designare. Sed neque capite erimus immobili rigidoque, quod semibarbarum est; ut olim Rufus ille Rhetor, de quo ita Ausonius Epigrammate 50.

(b) Rhetoris hæc Rufi statua est; si saxea, Rufus.
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

2. Ca-

(a) Ital. *Bacchanti*.
(b) Italice sic verte; *questa statua è di Rufo Retore, s'ella è di sasso, è lo stesso Rufo.*

1. Capite utemur non demisso, & (a) obstipo, vel in cervicem reflexo; sed recto potius celsoque: quamquam hic quoque modus servandus est, ne audaciæ ac arrogantiæ videatur; & capitis demissio potest aliquando tristitiam, luctum, mœrorem, pœnitentiam, & iræ divinæ placandæ studium perbelle significare.

Sed in ore, vultuque & oculis sunt indices. Quapropter pro rerum natura, vultum indues modo hilarem, modo mœstum, nunc blandum, nunc minacem. Ita Horatius:

Tristia mœstum
Vultum verba decent; iratum plena minarum;
Ludentem lasciva; severum seria dictu.

Frons exporrecta diffusaque hilaritatis indicium est: contra vero severitas indicatur fronte corrugata, (b) caperataque, & superciliis vel contractis, vel etiam inæqualibus. Unde Tullius in Pisonem: *Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio respondit*.... & pro Sextio: *Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo supercilio, tamquam Rhadamantus ille niti videretur*. Hinc etiam Petronius Arbiter:

Quid me spectatis constricta fronte, Catones?

Et post illum Martialis lib. 1.

Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos;
Terrarum dominum pone supercilium.

Orantem, & aliquid a Deo poscentem indicant oculi in cœlum sublati, ut res ipsa satis loquitur. Unde Cassandra:

Ad Cœlum tendens ardentia lumina frustra:

Oculos avertere aversantis est, vel fastidientis,

(a) Ital. *Piegato, e cascante sul mento*.
(b) Ital. *aggrinzita*.

tis, vel negantis. Sic misera Didonis umbra; conspecto apud inferos Ænea,

Illa solo fixos oculos aversa tenebat;

Oculi clausi meditantem & cogitantem animum produnt. Oculos in unum locum defixos habent, qui præ admiratione stupent. Unde Æn. 1.

Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno.

Præterea demissi oculi modestiam pudoremque significant. Sic Andromache Æn. 3.

Dejecit vultum, & demissa voce locuta est.

Quid in Brachii moderatione servandum?

R. Brachia nec deorsum incomposita pendeant, nec immodice projiciantur, nisi in affectu vehementiori. Brachium extensum ac porrectum, potentiam, auctoritatem, & robur arguit. Contra vero continere ac cohibere brachium, est pudoris ac verecundiæ. Unde Tullius pro Cœlio; *Nobis olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutis, ut exercitatione ludoque campestri tunicati* (a) *uterentur.*

Quid circa manus digitosque præcipitur?

R. *Manus, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant*, inquit Fabius..... *Nam ceteræ partes loquentem adjuvant: hæ, prope est ut dicam, ipsæ loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? Gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus?* Circa manus autem certæ quædam sunt finitæ leges, quas sequi oportebit.

1. Ma-

(a) *Alii legunt* uteremur.

1. Manus in Exordio non solet extendi. At ubi paulum effervescere cœpit oratio, manus pariter exeritur cum illa, pariterque cum illa deponitur.

2. Pectori manus admovetur, cum de seipso quis loquitur; at cum alloquitur alium, ad illum extenditur.

3. *Manus sinistra numquam sola gestum facit,* inquit Fabius: *dextra se frequenter accommodat:* sive in digitos argumenta digerimus, causamque, ut olim Hortensius consueverat, partimur in digitis (quem morem hodieque nonnulli non infeliciter imitantur) sive adversas palmas, quasi repellendo, & repudiando objicimus.

4. Solœcismus gestu committitur, cum aliud voce, aliud gestu monstramus: ut Rhetor ille, qui cœlum appellans, tellurem intuebatur, gestuque monstrabat.

5. Urgemus crebra manuum impressione. Supplicamus manibus elatis junctisque. Confirmamus manibus pronis, gravi quodam & decenti motu depressis.

6. Admirantium est manus tollere. Unde Tullius in Academicis Quæstionibus; *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus sape tolleret.* Et ad Cæsarem, Epistolarum libro septimo: *Sustulimus manus ego & Balbus.* Huc etiam pertinet illud Catulli, Carmine 53.

Admirans ait hæc, manusque tollens:
Dii magni, (a) salapusium disertum!

7. Manu extenta facimus nobis audientiam; indicimusque silentium. Hinc Persius in Satyris:

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus...

Lucanus etiam Libro primo de Cæsare.

Tu

(a) *Salapusius nomen compositum ex sale & pusius, sive pusio, quasi dicas pusio plenus salis & facetiarum, quod de Calvo dictum ob pusillam staturam.*

Tumultum.
Composuit vultu, dextraque silentia jussit.

8. Manus ori admota tacentis & silentium suadentis habitus est, *Digito compesce labellum*, inquit Juvenalis; quo etiam gestu simulacrum Harpocratis effingebant Ægyptii veteres.

9. Solebat Tullius antequam diceret, barbam demulcere, quod hodieque nonnulli solent. Sunt etiam qui aut frontem fricent, aut lacunar intueantur, sed hæc vitiosa sunt. Vitiosum est quoque manus vel supra caput attollere, vel infra pectus demittere; præterquam in summis affectibus.

10. Pectus ferire, aut femur, prope scenicum est.

11. Manus optime a sinistro incipit latere, dextroque deponitur.

12. Hoc esse cavendum ait Cicero, ne nimiæ sint digitorum argutiæ, neve immodica sit illorum gesticulatio, quo vitio laboravit summus Orator Hortensius. *Cum enim*, inquit Agellius, *manus ejus, inter agendum, essent arguta admodum & gestuosa, maledictis, compellationibusque probrosis jactatus est: multaque in eum quasi in histrionem, in ipsis causis atque judiciis dicta sunt.*

Has autem omnes; quas hactenus diximus, Oratoris virtutes, cura & labore comparari posse liquet mirabili Demosthenis exemplo, qui cum (a) primam artis suæ litteram dicere nequiret, studio & exercitatione perfecit, ut planissime diceret, & balbutiem, inditis ori calculis, emendavit, exilitatem vocis, ad fluctus maris declamando, illiusque fremitus voce vincendo, sustulit; angustias spiritus, locorum arduorum inter declamandum ascensu, tandem aliquando superavit.

Atque hæc de Pronunciatione monuisse sufficiat. Reliqua, quæ eodem pertinent, exercitationi relinquimus: cui scilicet plus multo quam præceptis esse tribuendum existimavimus.

Finis Libri Quinti.

N IN-

(a) *Litteram R.*

INSTITUTIONUM POETICARUM

AUCTORE

JOSEPHO JUVENCYO
E Societate JESU

LIBER PRIMUS.

DE POESI SPECTATA Universe.

M. CUM in omni re, quæ in quæstionem venit, debeat attendi primum quid sit, deinde quæ sint ejus affectiones; ideo Poeseos definitio proferenda; tum de materia illius, forma, ornatu, caussa efficiente, fine, ac divisione disputandum.

CAPUT PRIMUM.

Definitio Poeseos.

D. QUid est Poesis?

M. 1. Si vocis vim ac potestatem quæras; Poesis nomen habet ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, quod est facere seu fingere; unde ποιητικὴ, ars faciendi seu fingendi, & ποιητὴς, Poeta, id est Fictor, seu Effector: quod Fabula, quam texit, ab ejus mente tota esse videatur.

2. Si

2. Si rei significationem spectes, Poesis modo dicitur Ars Poetica: modo dicitur opus aliquod ex arte elaboratum. Juxta primam vocis acceptionem Poesis est *Ars rite conficiendi Poematis*: sive, Collectio præceptorum in unum & eundem finem certo tendentium, nimirum ad unum aliquod opus poeticum perficiendum. Juxta secundam vocis significationem intelligitur Usus, & Praxis illorum præceptorum; atque hoc sensu agimus hic de Poesi.

D. Quomodo definitur hoc posteriori sensu accepta Poesis?

M. Definitur Ars imitandi Actiones humanas; *seu* Imitatio humanarum Actionum cum fictione.

D. Imitaturne reipsa omnis Poesis humanas Actiones?

M. Imitatur utique. De præcipuis Poematis non potest ambigi, Epico, Tragico, Comico. Minora quoque Poemata ad humanas Actiones suo modo referri primario & per se suis locis patebit inferius.

D. Cur potius humanas Actiones imitatur Poesis, quam Mores?

M. Ratio hæc petitur ex Philosopho (a). Cum sit Poesis omnis Politicæ & Civilis Disciplinæ pars: civilis autem disciplina habeat pro fine Civium felicitatem; hunc certe finem Poesi præstitutum esse necesse est. Jam vero cum felicitas sit in Actione, juxta Philosophos, non in Moribus, qui ad ipsas Actiones, ut ad finem referuntur, plane sequitur, ut, quemadmodum Civilis Disciplina, sic & Poesis non tam ad mores referatur, quam ad Actiones, easque primario & per se imitetur.

D. Num Poesi tam necessario addicta est Fictio, seu Fabula, ut sine illa non possit esse Poesis?

M. Plane dicendum est; ita censet Aristoteles, (b) ejusque Interpretes, qui vim eandem ac dignitatem in poesi tribuunt Fictioni, quam Animæ

 con-

(a) *Poet. c. 4.* (b) *ibid.*

concedunt in homine. Cum autem sublata animâ nullus fit homo; sic nec sublata Fictione potest esse ulla Poesis. Ita sentiunt probatissimi Authores bene multi, Plato in Phædone, Plutarchus libro de audiendis Poetis, &c. Non erit itaque Poeta dicendus is, qui sine Fictione, sicut qui sine Metro scripserit. Ratio patebit utriusque c. 3. ubi quid nomine Fictionis seu Fabulæ veniat, exponetur.

CAPUT II.

De Materia Poeseos.

D. QUÆ *est Materia Poeseos?*
M. Est id omne, de quo tractat Poesis.

D. *Quotuplex est illa Materia?*

M. Duplex, una remota, altera proxima.

D. *Quanam est Materia remota?*

M. Tam longe lateque diffusam Poeticæ, quam Oratoriæ Facultati Materiam assignat Tullius. (a) cui Poeta cum Oratore in hoc idem est, nullis ut terminis uterque circumscribat, aut definiat jus suum, adeoque possit uterque de rebus omnibus disputare.

D. *Quanam est Materia proxima Poeseos?*

M. Sunt Actiones humanæ, prout potuere, vel debuere geri.

D. *Numquid debent esse vera, quæ in Poeseos materiam assumuntur a Poeta?*

M. Tenetur aliquando Poeta ea dicere quæ vere contigerint, aliquando non tenetur. Quamvis enim Poetice, Poesis, & Poema artem faciendi, effectionem, effectumque significent, non eo sensu tamen sunt accipiendæ illæ voces, ut suam sibi semper materiam procreare Poeta debeat; immo in Epopœja, Tragœdia, atque etiam in aliis minoribus poematis, qualia sunt Genethliaca, Epicedia.

(a) 1. de Orat.

cedia, Epinicia, &c. subesse debet quasi fundus historiæ, cui magnifice aliquid inædificetur. Potest autem suam sibi condere materiam in Comœdia, aliisque poematis bene multis, atque etiam debet materiæ, quæ vera sit, novam formam inducere, atque eatenus falsa referre. Curandum autem utrobique diligenter, ut quæ proferentur, sive vera, sive falsa, ea sint omnino verisimilia.

D. Quid vocas Verisimile?

M. Est id, quod naturali quodam rerum exitu debet, aut certe potest contingere in iis circunstantiis, in quibus dicitur contingere.

D. Itane sunt verisimilia quæ Virgilius narrat in descensu Æneæ ad inferos, de mutatione navium in Nymphas marinas, aliaque hujusmodi?

M. Fuere utique verisimilia, quod ab Heroibus, Diisque & fieri posse, & reipsa fieri aliquando putarentur.

CAPUT III.

De Forma Poeseos.

D. QUæ est forma Poeseos?

M. Est Fictio, seu Fabula. Cum enim Poetica sit ars fingendi, ut vox ipsa sonat, debet certe Fictio sic naturam poeseos constituere, ut eam ab omni alia re secernat atque distinguat; quomodo Forma, quæ vocatur in Physicis, uniuscujusque rei materiem sic perpolit ac perficit, ut ejus naturam plane dicatur constituere. Ita censet passim Aristoteles, qui Fabulam sic Poesi attribuit, ut sine illa Poetam esse nolit.

D. Quid est Fictio, seu Fabula?

M. Non una est, eademque vocis illius notio: 1. Significat sermonem quendam mere fictitium, qualia sunt Æsopica colloquia bestiarum, & inania quædam Ethnicorum commenta. 2. Usurpatur a Philosopho pro Actione ipsa & Materia Poe-

matis, vel etiam pro toto Poemate. 3. Sumitur ab eodem Philosopho pro Structura quadam Poematis, sive, ut loquitur, pro Constitutione rerum, & Compositione in Poemate.

D. Quo sensu Fabula dicenda est Forma Poeseos?

M. Juxta postremam hanc vocis acceptionem. Nam eodem modo de Poetica videtur dicendum, ac de aliis Artibus, quæ imitatione perficiuntur: in quibus certa quædam Dispositio & Compositio universe dici debet earum Forma. Sic in statua aurea, aurum est materia, & artificiosa auri dispositio est ultima Statuæ Forma in genere operis artificiosi. Et ut exemplum proferam, quo non semel usus est Aristoteles; Pingatur v. gr. Socrates, 1. Picturæ materies est Socrates, qui pingi debet, is materiam repræsentat poeseos. 2. Corporis descriptio cum apta membrorum omnium conformatione ac dispositione est Forma: & hæc Fabulæ comparatur. 3. Colorum varietas & contemperatio est ornatus picturæ, & cum Fabulæ ornamentis rite potest conferri. Recte itaque pronunciavit Aristoteles: (a)

Λέγω γὰρ τοῦτον τὸν μῦθον σύνθεσιν τῶν πραγμάτων

Definio Fabulam esse Compositionem rerum.

D. Qualis debet esse illa Fictio, seu Constitutio & Structura Poematis?

M. 1. Exquisitam illam esse jubet universe Horatius; (b) atque etiam in majoribus Poematis magnificam: nec vult Poetam dici posse illum, qui talem Formam Materiæ non induxerit:

Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis: neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

2. Hæc Structura, ut de illa aliquid magis distincte, singillatimque statuamus, complectitur varia, quæ a Philosopho appellantur. Fabulæ ornamenta, Peripetias, Agnitiones, Episodia, Machi

(a) *Lib. 6. cap. 4.* (b) *Sat. 4.*

chinas, graphicam Morum expressionem, Sententias, accuratam Dictionem, Numerum poeticum, aliaque omnia, unde mirabile dicendi genus efflorescat; adeo ut nulla sit Fictio, quæ aut omnibus his destituta sit, aut aliquibus saltem instructa non sit ornamentis.

D. *Quæ poemata aut hæc omnia, aut aliqua saltem sibi vendicant Fabulæ ornamenta?*

M. In sublimioribus Poematis frequentius, parcius in humilioribus sunt usurpanda. Sic epicum poema, Tragicumve eo omni ornatu debet splendere: aliquo nitere debent minora poemata; vel quæ in genere heroico sunt posita, ut Adhortationes, Laudationes, &c. vel quæ suapte natura simpliciorem, minusque figuratum dicendi habitum requirunt. Verum quæ Fictio cuique illorum, qui cultus ornatusque conveniat, exponetur commodius suis locis, cum de singulis agetur poematum generibus.

D. *Licetne in poesi adhibere Fictionem, quatenus vox illa aliquid mere fictitium sonat?*

M. Sane licet. 1. Nihil opus est in majoribus poematis esse usquequaque vera, quæ in peripetiis, Episodiis, Machinis, &c. proferuntur.

2. Placent maxime quæ a veteribus sæpe recentioribusque Poetis in poemate Epico, Tragico, Comico, Bucolico etiam, & Satyrico Fictitiæ inducuntur personæ.

3. Non sine dignitate ac venustate rebus inanimis spiritus, mutis vox tribuitur; ut cum Roma, Gallia, Africa loquentes inducuntur, vel cum Scientiæ, Artes, in personas item conformantur.

4. Suus est etiam in sacris argumentis, neque angustior, quam in profanis, ejusmodi Fictioni locus, ut evicit manifestissime in suo Opere vere aureo de Poemate Frinzonius, (a) cujus ex animadversione id unum maxime curandum est, ut moderentur prudentia Fictiones, ne quid vanum, insolens, aut a communi sensu alienum afferatur.

(a) *Lib.* 1.

Ex dictis collige, 1. Poetæ perinde esse; vera ac falsa dicere, modo verisimilia dicat; nisi forte in aliquibus poematis, quæ supra attigimus, in quibus debet esse vera, quæ profertur, materies: quamvis falsi aliquid in eadem ornanda possit aspergi: quod tamen intra verisimilitudinis septa contineri debet.

Collige 2. quam male jubeantur e Parnasso exulare Poetæ, qui mera commenta in sua carmina non invexerunt, & eo nomine Fabulam non scripsisse dicuntur; quasi vero ipse Virgilius in suo opere absolutissimo Georgicon Poeta non sit appellandus, cum vera dixerit, sed splendide, sed artificiose, sed poetice, adeoque non sine Fictione.

Collige 3. Non esse illum proprie dicendum Poetam, qui tenuiter, ac jejune, servata dumtaxat legitima syllabarum, pedumque dimensione rem tractavit: eumque versificatorem appellandum, quod sine Fictione poetica scripserit: quæ ut minimum requirit habitum loquendi aliquem figuratum, floremque eloquentiæ leviter delibatum, versuque exornatum.

D. Quæ sunt jam ornamenta Fictionis seu fabulæ?

M. Septem numerantur ab Aristotele, Peripetia, Anagnorisis, Episodium, Machinæ, Mores, Sententia, Dictio: de quibus omnibus singillatim agendum est.

CAPUT IV.

De Peripetia.

D. *Quid est Peripetia?*

M. Peripetia a περιπίπτω, *incido*, nihil aliud est, ut vox indicat, quam rerum in statum contrarium lapsus: quapropter definitur ab Aristotele (a) *Eorum, quæ aguntur, Mutatio in contrarium*, sive mutatio hæc prospera sit, sive adversa.

D. Da

(a) C. 9. Poet.

D. Da exemplum utriusque Peripetiæ.

M. Exemplum esto prosperæ rerum conversionis. Josephus fratribus suis infelicem suam sortem lugentibus, quis tandem ipse sit, aperit, timoremque excutit; unde efficiuntur illi vere fortunati.

Adversæ vero mutationis exemplum sit istud. Nuntius Corintho missus Oedipum rogat Thebanorum regem, ut Corinthiorum quoque regnum communi omnium consensu post mortem Polybi regis ipsi delatum velit capessere. Corinthum adire abnuit Oedipus, ne forte, quod oraculum præcinuerat, incesto flagitio matris polluendæ, quam putabat esse Meropem Polybi demortui uxorem, periculum subiret. Dat operam Nuntius, ut hoc eum metu liberet; sed simul ea refert, unde cognoscit Oedipus impletum jam fuisse Oraculum, & matrem Jocastam eo flagitio pollutam, & patrem Lajum a se fuisse interfectum; atque hinc tantum concipit mœrorem, ut vagus, & exul effossis sibi oculis, reliquam vitam transigere constituat, in summam proinde prolapsus calamitatem.

D. Quot sunt conditiones ad perfectam Peripetiæ formam requisitæ?

M. Tres assignantur. Prima est, ut sit magna illa mutatio rerum ferme omnium fortunarumque, sive ex felici statu ad infelicem, sive contra.

Altera, ut sit illa mutatio subita & inopinata: ut si præter expectationem ea rerum oriatur perturbatio, ut metus repente lætitiæ, vel terrori lætitia succedat.

Tertia, ut sit verisimilis ejusmodi rerum conversio. Contra quam præceptionem peccant imprimis Romantiorum Auctores; qui nulla habita verisimilitudinis ratione, rerum dumtaxat captant delitias: nec fidem facere curant, modo lectorum animos admirabilitate rei teneant & delectent. Habes eximiam Peripetiæ formam apud Virgilium; (a) ubi Trojanis in Italiam appulsis cum faustæ omnia, atque ex sententia cederent, dimissis a La-

(a) *Æneid. lib. 7.*

tino rege cum bonis verbis,atque amplis muneribus Legatis,pactaque Æneæ Lavinia, Juno, irarum plena, omnia commutat, perturbatque, summaque in rerum tranquillitate summum derepente bellum excitat.

CAPUT V.

De Anagnorisi.

D. Quid est *Anagnorisis*?

M. Anagnorisis, latine *Agnitio*, dicitur ab Aristotele (a) *ex ignorantia in cognitionem mutatio*: Id est, personarum Agnitio, ex quo amicitia oritur, vel inimicitia inter eos, qui felices esse debent, vel infelices. Unde colliges per hoc Fabulæ ornamentum, 1. Intelligi personarum inter se agnitionem. 2. Amicitiam vel inimicitiam. 3 Felicitatem, vel infelicitatem ex illa agnitione nasci.

D. *Da Exemplum Agnitionis.*

M. Orestes Iphigeniæ frater ad aram mactandus præsente sorore, quam non agnoscebat, ait simili fato perire se, ac sororem, quam Dianæ immolatam fuisse credebat. His illa auditis fratrem agnoscit: inito deinde inter se consilio aufugiunt, & morti se Orestes, & fœdo homines immolandi ministerio Iphigenia se subducit.

D. *Quotuplex est Agnitio?*

M. Duplex; una dicitur simplex, duplex altera: ut si in allato modo exemplo Iphigenia tantum agnoscat Orestem, simplex erit, si Orestes quoque agnoscat Iphigeniam, duplex erit Agnitio.

D. *Utra præstat alteri?*

M. Sane duplex; atque illa imprimis magni facienda est, quæ admixtam habet Peripetiam. Historia Josephi, de qua in superiori capite, duplicem continet Agnitionem, & mirabilem peripetiam.

Va-

(a) *Cap. 9. poet.*

Varias Agnitionum species, sive modos late prosequitur ex Philosopho Daniel Heinsius libro de Tragœdiæ constitutione. (a)

CAPUT VI.

De Episodio.

D. QUid est Episodium?

M. 1. Si vocis etymon spectes, est insertum quiddam in Carminis Fabulam: cum idem sonet atque adjectum aliquid ad cantum.

2. Si definitionem quæras, est *Actio adjectitia, apta & necessaria quodammodo connexione cum Actione primaria conjuncta.*

D. Explica quæso singulas voces.

M. 1. Dicitur Actio; neque enim Descriptiones, Comparationes, & Narrationes aliquot dici debent Episodia. Sic tempestatis descriptio in 1. Æneid. v. gr. non est Episodium: sed in 2. Trojæ excidium, & in 3. Æneæ peregrinatio ex omnium sententia sunt Episodia, quia habent suas Actiones.

2. Dicitur Actio adjectitia, qua voce secernitur ab Actione primaria, cujus ne pars quidem esse debet Episodium, sine quo potest esse Actio primaria. Sic potuit Æneas Italiæ applicare, Turnumque vincere, omissa Excidii Trojani narratione, item & præterita errorum suorum expositione: quæ duo sunt Episodia.

3. Dicitur ejusmodi Actio apte conjuncta cum Actione primaria: ut neque petita longius, neque affectata studiosius, neque contorta violentius esse debere Episodia significetur.

4. Præcipitur, ut necessitate aliqua cum primaria Actione connectatur: ut indicetur, sic esse cum Actione illa committendum Episodium, ut sine aliqua culpa præteriri non posse videatur.

(a) *Cap.* 6.

concedunt in homine. Cum autem sublata animâ nullus sit homo; sic nec sublata Fictione potest esse ulla Poesis. Ita sentiunt probatissimi Authores bene multi, Plato in Phædone, Plutarchus libro de audiendis Poetis, &c. Non erit itaque Poeta dicendus is, qui sine Fictione, sicut qui sine Metro scripserit. Ratio patebit utriusque c. 3. ubi quid nomine Fictionis seu Fabulæ veniat, exponetur.

CAPUT II.

De Materia Poeseos.

D. QUÆ *est Materia Poeseos?*

M. Est id omne, de quo tractat Poesis.

D. *Quotuplex est illa Materia?*

M. Duplex, una remota, altera proxima.

D. *Quanam est Materia remota?*

M. Tam longe lateque diffusam Poeticæ, quam Oratoriæ Facultati Materiam assignat Tullius. (a) cui Poeta cum Oratore in hoc idem est, nullis ut terminis uterque circumscribat, aut definiat jus suum, adeoque possit uterque de rebus omnibus disputare.

D. *Quanam est Materia proxima Poeseos?*

M. Sunt Actiones humanæ, prout potuere, vel debuere geri.

D. *Numquid debent esse vera, quæ in Poeseos materiam assumuntur a Poeta?*

M. Tenetur aliquando Poeta ea dicere quæ vere contigerint, aliquando non tenetur. Quamvis enim Poetice, Poesis, & Poema artem faciendi, effectionem, effectumque significent, non eo sensu tamen sunt accipiendæ illæ voces, ut suam sibi semper materiam procreare Poeta debeat; immo in Epopœja, Tragœdia, atque etiam in aliis minoribus poematis, qualia sunt Genethliaca, Epicedia,

(a) 1. *de Orat.*

cedia, Epinicia, &c. subesse debet quasi fundus historiæ, cui magnifice aliquid inædificetur. Potest autem suam sibi condere materiam in Comœdia, aliisque poematis bene multis, atque etiam debet materiæ, quæ vera sit, novam formam inducere, atque eatenus falsa referre. Curandum autem utrobique diligenter, ut quæ proferentur, sive vera, sive falsa, ea sint omnino verisimilia.

D. Quid vocas Verisimile?

M. Est id, quod naturali quodam rerum exitu debet, aut certe potest contingere in iis circunstantiis, in quibus dicitur contingere.

D. Itane sunt verisimilia quæ Virgilius narrat, in descensu Æneæ ad inferos, de mutatione navium in Nymphas marinas, aliaque hujusmodi?

M. Fuere utique verisimilia, quod ab Heroibus, Diisque & fieri posse, & reipsa fieri aliquando putarentur.

CAPUT III.

De Forma Poeseos.

D. QUæ *est forma Poeseos?*

M. Est Fictio, seu Fabula. Cum enim Poetica sit ars fingendi, ut vox ipsa sonat, debet certe Fictio sic naturam poeseos constituere, ut eam ab omni alia re secernat atque distinguat; quomodo Forma, quæ vocatur in Physicis, uniuscujusque rei materiem sic perpolit ac perficit, ut ejus naturam plane dicatur constituere. Ita censet passim Aristoteles, qui Fabulam sic Poesi attribuit, ut sine illa Poetam esse nolit.

D. Quid est Fictio, seu Fabula?

M. Non una est, eademque vocis illius notio: 1. Significat sermonem quendam mere fictitium, qualia sunt Æsopica colloquia bestiarum, & inania quædam Ethnicorum commenta. 2. Usurpatur a Philosopho pro Actione ipsa & Materia Poe-

matis, vel etiam pro toto Poemate. 3. Sumitur ab eodem Philosopho pro Structura quadam Poematis, sive, ut loquitur, pro Constitutione rerum, & Compositione in Poemate.

D. Quo sensu Fabula dicenda est Forma Poeseos?

M. Juxta postremam hanc vocis acceptionem. Nam eodem modo de Poetica videtur dicendum, ac de aliis Artibus, quæ imitatione perficiuntur: in quibus certa quædam Dispositio & Compositio universe dici debet earum Forma. Sic in statua aurea, aurum est materia, & artificiosa auri dispositio est ultima Statuæ Forma in genere operis artificiosi. Et ut exemplum proferam, quo non semel usus est Aristoteles; Pingatur v. gr. Socrates, 1. Picturæ materies est Socrates, qui pingi debet, is materiam repræsentat poeseos. 2. Corporis descriptio cum apta membrorum omnium conformatione ac dispositione est Forma: & hæc Fabulæ comparatur. 3. Colorum varietas & contemperatio est ornatus picturæ, & cum Fabulæ ornamentis rite potest conferri. Recte itaque pronunciavit Aristoteles: (a)

Λέγω γὰρ τοῦτον τὸν μῦθον σύνθεσιν τῶν πραγμάτων.

Definio Fabulam esse Compositionem rerum.

D. Qualis debet esse illa Fictio, seu Constitutio & Structura Poematis?

M. 1. Exquisitam illam esse jubet universe Horatius; (b) atque etiam in majoribus Poematis magnificam: nec vult Poetam dici posse illum, qui talem Formam Materiæ non induxerit:

Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis: neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

2. Hæc Structura, ut de illa aliquid magis distincte, singillatimque statuamus, complectitur varia, quæ a Philosopho appellantur. Fabulæ ornamenta, Peripetias, Agnitiones, Episodia, Ma-

chi

(a) *Lib. 6. cap. 4.* (b) *Sat. 4.*

chinas, graphicam Morum expressionem, Sententias, accuratam Dictionem, Numerum poeticum, aliaque omnia, unde mirabile dicendi genus efflorescat; adeo ut nulla sit Fictio, quæ aut omnibus his destituta sit, aut aliquibus saltem instructa non sit ornamentis.

D. Quæ poemata aut hæc omnia, aut aliqua saltem sibi vendicant Fabulæ ornamenta?

M. In sublimioribus Poematis frequentius, parcius in humilioribus sunt usurpanda. Sic epicum poema, Tragicumve eo omni ornatu debet splendere: aliquo nitere debent minora poemata; vel quæ in genere heroico sunt posita, ut Adhortationes, Laudationes, &c. vel quæ suapte natura simpliciorem, minusque figuratum dicendi habitum requirunt. Verum quæ Fictio cuique illorum, qui cultus ornatusque conveniat, exponetur commodius suis locis, cum de singulis agetur poematum generibus.

D. Licetne in poesi adhibere Fictionem, quatenus vox illa aliquid mere fictitium sonat?

M. Sane licet. 1. Nihil opus est in majoribus poematis esse usquequaque vera, quæ in peripetiis, Episodiis, Machinis, &c. proferuntur.

2. Placent maxime quæ a veteribus sæpe recentioribusque Poetis in poemate Epico, Tragico, Comico, Bucolico etiam, & Satyrico Fictitiæ induuntur personæ.

3. Non sine dignitate ac venustate rebus inanimis spiritus, mutis vox tribuitur; ut cum Roma, Gallia, Africa loquentes inducuntur, vel cum Scientiæ, Artes, in personas item conformantur.

4. Suus est etiam in sacris argumentis, neque angustior, quam in profanis, ejusmodi Fictioni locus, ut evicit manifestissime in suo Opere vere aureo de Poemate Frinzonius, (a) cujus ex animadversione id unum maxime curandum est, ut moderentur prudentia Fictiones, ne quid vanum, insolens, aut a communi sensu alienum afferatur.

(a) *Lib. 1.*

Ex dictis collige, 1. Poetæ perinde esse; vera ac falsa dicere, modo verisimilia dicat; nisi forte in aliquibus poematis, quæ supra attigimus, in quibus debet esse vera, quæ profertur, materies: quamvis falsi aliquid in eadem ornanda possit aspergi: quod tamen intra verisimilitudinis septa contineri debet.

Collige 2. quam male jubeantur e Parnasso exulare Poetæ, qui mera commenta in sua carmina non invexerunt, & eo nomine Fabulam non scripsisse dicuntur; quasi vero ipse Virgilius in suo opere absolutissimo Georgicon Poeta non sit appellandus, cum vera dixerit, sed splendide, sed artificiose, sed poetice, adeoque non sine Fictione.

Collige 3. Non esse illum proprie dicendum Poetam, qui tenuiter, ac jejune, servata duntaxat legitima syllabarum, pedumque dimensione rem tractavit: eumque versificatorem appellandum, quod sine Fictione poetica scripserit: quæ ut minimum requirit habitum loquendi aliquem figuratum, floremque eloquentiæ leviter delibatum, versuque exornatum.

D. Quæ sunt jam ornamenta Fictionis seu fabulæ?

M. Septem numerantur ab Aristotele, Peripetia, Anagnorisis, Episodium, Machinæ, Mores, Sententia, Dictio: de quibus omnibus singillatim agendum est.

CAPUT IV.

De Peripetia.

D. *Quid est Peripetia?*

M. Peripetia a περιπίπτω, *incido*, nihil aliud est, ut vox indicat, quam rerum in statum contrarium lapsus: quapropter definitur ab Aristotele (a) *Eorum, quæ aguntur, Mutatio in contrarium*, sive mutatio hæc prospera sit, sive adversa.

D. Da

(a) C. 9. *Poet.*

D. Da exemplum utriusque Peripetiæ.

M. Exemplum esto prosperæ rerum conversionis. Josephus fratribus suis infelicem suam sortem lugentibus, quis tandem ipse sit, aperit, timoremque excutit; unde efficiuntur illi vere fortunati.

Adversæ vero mutationis exemplum sit istud: Nuntius Corintho missus Oedipum rogat Thebanorum regem, ut Corinthiorum quoque regnum communi omnium consensu post mortem Polybi regis ipsi delatum velit capessere. Corinthum adire abnuit Oedipus, ne forte, quod oraculum præcinuerat, incesto flagitio matris polluendæ, quam putabat esse Meropem Polybi demortui uxorem, periculum subiret. Dat operam Nuntius, ut hoc eum metu liberet; sed simul ea refert, unde cognoscit Oedipus impletum jam fuisse Oraculum, & matrem Jocastam eo flagitio pollutam, & patrem Lajum a se fuisse interfectum; atque hinc tantum concipit mœrorem, ut vagus, & exul effossis sibi oculis, reliquam vitam transigere constituat, in summam proinde prolapsus calamitatem.

D. Quot sunt conditiones ad perfectam Peripetiæ formam requisitæ?

M. Tres assignantur. Prima est, ut sit magna illa mutatio rerum ferme omnium fortunarumque, sive ex felici statu ad infelicem, sive contra.

Altera, ut sit illa mutatio subita & inopinata: ut si præter expectationem ea rerum oriatur perturbatio, ut metus repente lætitiæ, vel terrori lætitia succedat.

Tertia, ut sit verisimilis ejusmodi rerum conversio. Contra quam præceptionem peccant imprimis Romantiorum Auctores; qui nulla habita verisimilitudinis ratione, rerum dumtaxat captant delitias: nec fidem facere curant, modo lectorum animos admirabilitate rei teneant & delectent. Habes eximiam Peripetiæ formam apud Virgilium; (a) ubi Trojanis in Italiam appulsis cum fauste omnia, atque ex sententia cederent, dimissis a La-

(a) *Æneid. lib. 7.*

tino rege cum bonis verbis,atque amplis muneribus Legatis,pactaque Æneæ Lavinia, Juno, irarum plena, omnia commutat, perturbatque, summaque in rerum tranquillitate summum derepente bellum excitat.

CAPUT V.

De Anagnorisi.

D. QUid est *Anagnorisis*?

M. Anagnorisis, latine *Agnitio*, dicitur ab Aristotele (a) *ex ignorantia in cognitionem mutatio*: Id est, personarum Agnitio, ex quo amicitia oritur, vel inimicitia inter eos, qui felices esse debent, vel infelices. Unde colliges per hoc Fabulæ ornamentum, 1. Intelligi personarum inter se agnitionem. 2. Amicitiam vel inimicitiam. 3 Felicitatem, vel infelicitatem ex illa agnitione nasci.

D. Da Exemplum Agnitionis.

M. Orestes Iphigeniæ frater ad aram mactandus præsente sorore, quam non agnoscebat, ait simili fato perire se, ac sororem, quam Dianæ immolatam fuisse credebat. His illa auditis fratrem agnoscit: inito deinde inter se consilio aufugiunt, & morti se Orestes, & fœdo homines immolandi ministerio Iphigenia se subducit.

D. Quotuplex est Agnitio?

M. Duplex; una dicitur simplex, duplex altera: ut si in allato modo exemplo Iphigenia tantum agnoscat Orestem, simplex erit, si Orestes quoque agnoscat Iphigeniam, duplex erit Agnitio.

D. Utra præstat alteri?

M. Sane duplex; atque illa imprimis magni facienda est, quæ admixtam habet Peripetiam. Historia Josephi, de qua in superiori capite, duplicem continet Agnitionem, & mirabilem peripetiam.

Va-

(a) *Cap. 9. poet.*

Varias Agnitionum species, sive modos late prosequitur ex Philosopho Daniel Heinsius libro de Tragœdiæ constitutione. (a)

CAPUT VI.

De Episodio.

D. QUid est Episodium?

M. 1. Si vocis etymon spectes, est insertum quiddam in Carminis Fabulam: cum idem sonet atque adjectum aliquid ad cantum.

2. Si definitionem quæras, est *Actio adjectitia, apta & necessaria quodammodo connexione cum Actione primaria conjuncta.*

D. *Explica quæso singulas voces.*

M. 1. Dicitur Actio; neque enim Descriptiones, Comparationes, & Narrationes aliquot dici debent Episodia. Sic tempestatis descriptio in 1. Æneid. v. gr. non est Episodium: sed in 2. Trojæ excidium, & in 3. Æneæ peregrinatio ex omnium sententia sunt Episodia, quia habent suas Actiones.

2. Dicitur Actio adjectitia, qua voce secernitur ab Actione primaria, cujus ne pars quidem esse debet Episodium, sine quo potest esse Actio primaria. Sic potuit Æneas Italiæ applicare, Turnumque vincere, omissa Excidii Trojani narratione, item & præterita errorum suorum expositione: quæ duo sunt Episodia.

3. Dicitur ejusmodi Actio apte conjuncta cum Actione primaria: ut neque petita longius, neque affectata studiosius, neque contorta violentius esse debere Episodia significetur.

4. Præcipitur, ut necessitate aliqua cum primaria Actione connectatur: ut indicetur, sic esse cum Actione illa committendum Episodium, ut sine aliqua culpa præteriri non posse videatur.

(a) *Cap.* 6.

tur. Nunquid debuit v. gr. Virgilius qui *arma virumque* canebat; *Troja qui primus ab oris Italiam fato profugus, Lavinaque venit littora*, suo operi Trojæ incendium non intexere? num debuit hoc in aula Didonis silere, quod jam per totum orbem fama vulgaverat? qui potuit ipsa Dido de iis suum hospitem non interrogare, *quorum pars magna* fuerat? qui vero potuit Æneas Reginæ de se quam optime meritæ, præsertim roganti, narrationem hanc denegare? Debet itaque semper subesse caussa aliqua Episodia attexendi, quamquam non ubique par esse debeat.

D. Nunquid Philosophus damnat Episodia, cum ait (a) nihil esse insulsius Actionibus Episodicis?

M. Appellat eo loci Episodia, quæ neque verisimiliter, neque necessario cum Fabula conjuncta sunt: quæ certe eo nomine sunt rejicienda, quantumvis habeant aliunde admirabilitatis, quod parum ad rem, aut nihil faciant.

CAPUT VII.

De Machina.

D. *Quid est Machina?*

M. 1. Si vim vocis quæras, Machina dicitur in Poesi quodcumque auxilium extraordinarie collatum. Nam cum Deos Tragœdi tamquam e celo delapsos producebant, vel homines e theatro offerebant adhibita Machina; auxilium illud aut a Diis præstitum, aut alio quovis modo, sed extraordinario, ut supra humanas vires exhibitum, Machina solebat appellari.

2. Si rei definitionem postulas, Machina dici potest *Actio, vel Actionis modus quidam viribus humanis superior, qui nodo difficili solvendo adhibeatur.*

D. Ex-

(a) *Cap. 8. Poet.*

D. *Explica singulas voces.*

M. 1. Dicitur *Actio*. Sic apud Homerum irato Achille, miles discessum parabat; retinendus tamen erat: & Minerva, Junonis impulsu in terras delapsa, susceptum redeundi consilium discutit.

2. Dicitur *vel actionis modus*, cum videlicet Deus latet, & occulta quadam efficientia juvat hominis actionem. Sic Juno Turnum, & Venus Æneam passim juvant apud Virgilium.

3. Dicitur *humanis viribus superior*. Ecquid enim Deus aliquis excitetur, si virtus humana sufficiat? Recte itaque monet Horatius: (a)

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.

Homerum certe reprehendit Aristoteles, quod Minervam e cœlo deduxerit, milites ut moraretur: quod opera, consilioque viri prudentis effici potuisset.

D. *Quandonam igitur adhibenda est Machina?*

M. Cum opus est sciri aliquid v. gr. aut eorum, quæ præterita sunt, aut futura, quod sine Deorum ope sciri omnino non possit: aut aliquid est agendum, quod suapte natura vires humanas excedat: tunc enim licet ad Superorum auxilium confugere. De Machina recurret mentio in Carmine Epico & Tragico.

CAPUT VIII.

De Moribus.

D. QUid intelligis per Mores ornanda Fabulæ servientes?

M. Quod Græci ἤθος, Latini Mores dixerunt; qua voce non tam mores, quam eorum proprietas, & cujusque indoles & ingenium designatur: Mores autem diversi esse solent in singulis pro habituum, affectuum, nationum, ætatum, & fortunæ

(a) *In Arte Poet.*

tunæ diversitate, v.g. ex habitibus dicitur aliquis justus, mitis, temperans; ex affectibus, amans, iratus; ex natione, Græcus, Romanus; ex ætate puer, juvenis, vir, senex; ex fortuna victor, vel victus. Ita morum voce usus est Horatius:

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores.

Itaque per mores Fabulæ intelligo ejusmodi morum graphicam expressionem.

D. Quales debent in Poesi Mores exhiberi?

M. Exhibendi sunt Boni, Convenientes, & Æquabilis tenoris.

D. Quomodo mores Bonos exprimet Poeta?

M. Si Mores illos effingat qui virtutis amorem, ac vitii odium ingenerent: eoque revocet pravos Mores, si quos exhibere necesse sit. (a) Ita fit mentio in Æneide Sinonis, & Mezentii, quo majori sint odio, execrationeque eorum mores pessimi. Cum enim sit ille præstiturus omni poesi finis, ut mores jucunde instituat; sane liquet a suo fine plane aberrare Poetam, qui malos mores in suum opus de industria velit inducere, ac celebrare. Non debent itaque mores pessimi in viro principe accurate depingi, minime vero omnium in Heroe.

D. Quomodo describit poeta Mores Convenientes?

M. Quando virtutem cuique tribuit, quæ ipsi convenit; & sic fœmina non tribuet fortitudinem, quæ congruat Achilli, aut prudentiam, quæ sit propria Nestoris.

D. Quomodo Mores erunt æquabilis tenoris?

M. Si sic effingantur, ut non discrepet aliquis a seipso. Ajax certe discreparet v. gr. si mores primum Ajacis, ac post paulo Ulyssis referret. Ea de re sic præcipit Horatius:

Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare novam; servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

CA-

(a) *Arist.* 1. *cap.* 2.

CAPUT IX.

De Sententia.

D. QUid *est Sententia?*

M. Duplex hujus vocis notio est apud Philosophum, (a) cui 1. Sententia dicitur *Gnome*, estque pronunciatum aliquod de re aliqua universe. Dicitur *Dianœa*, & eo sensu est vis animi, quæ explicat tum naturam rei, tum eas, quæ ipsi congruunt, affectiones; cujus est proinde demonstrare quæ latent, dissolvere quæ nexa sunt, motus animorum ciere, augere quæ sunt exigua, & quæ grandia, minuere. Utroque modo ad Fabulæ ornamentum pertinet Sententia; nihil est tamen, quod de illa juxta secundam hanc vocis acceptionem hic agamus, cum tractentur hęc in Rhetoricis; sed satis fuerit juxta primam acceptionem in Sententiam inquirere.

D. Quomodo definitur eo sensu accepta sententia?

M. Est *simplex pronunciatum universe de vita recte informanda*. Hinc patet triplicem esse Sententiæ dotem. 1. esse unam. 2. dici universe. 3. esse moratam.

D. Quomodo erit una simplexque Sententia?

M. Si non diffundatur in plura, quæ illam efficiant quodammodo multiplicem. Ita posset hæc Horatii Sententia, *pulvis & umbra sumus*: sic explicari ac dilatari, ut illius caussæ afferrentur quamplurimæ, adhiberentur similitudines, comparationesque: unde non tam una aliqua, quam plures existerent Sententiæ.

D. Quomodo erit universe dicta?

M. Si libera sit, ac soluta a loco, tempore, persona, aliisque adjunctis, quæ res afficiunt singulares. Talis est hæc Horatii, *dulce & decorum est pro patria mori*.

D. Quo-

(a) *L. 2. Rhet. c. 4. & 19. poet.*

D. Quomodo erit morata?

M. Si vitam recte informet. Talis est allata jam Sententia, qua pietas erga patriam sic prædicatur, ut vitæ propriæ dicatur anteponenda.

D. Quodnam est discrimen Sententiam inter, & acute dictum?

M. Sententia pugna caret & conflictu; Acute dictum vero totum est in eo conflictu. Exempla subjicio de Sententia pura, de acute dicto pure, & de utroque mixto.

Sententia pura illa est, quæ dicti quidem amplitudinem habet, ac majestatem, sed contentione caret; sic dicitur apud Senecam: (a)

Cogi qui potest, nescit mori.

Acute dictum pure est contentio sine sententia, tale est apud eundem Senecam illud Hecubæ: (b)

Ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget,
Ardente Troja.

Sententia mixta est, cui annexa est contentio; tale est illud: *Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.* Seposita enim contentione, viget tamen Sententiæ vis, & dignitas; idemque est, ac si diceretur, *Avarus nemo dives.*

CAPUT X.
De Dictione.

D. Quid est Dictio?

M. Dictio (c) universe describi potest dicendi ratio, quæ animi sensa declarat, quo demum cumque modo id fiat. Atque hac latius patenti notione Dictio omnis, sive Oratoria, sive Poetica, aut alia quæcumque attingitur.

D. Quænam est igitur Dictio poetica?

M. Est illa dicendi ratio, quæ soli Poesi convenit: ac proinde quæ & communes omni Dictioni, & proprias, sibique uni addictas dotes vendicat.

D. Quæ

(a) *Her. fur.* (b) *Tro.* (c) *Aristot. c.* 4 [illegible]

D. Quæ sunt illæ dotes Dictionis poeticæ?

M. Tres vulgo assignantur, ad quas cæteræ omnes facile revocantur. 1. Perspicuitas: 2. Majestas. 3. Numerus.

D. Quomodo Dictio poetica erit perspicua?

M. Cum Dictio poetica, ut quævis, alia, ex verbis constet, ac sententiis; ideo & in verbis & verborum contextu quærenda est illa perspicuitas.

D. In quo posita est verborum Perspicuitas?

M. In vocabulorum propriorum, & rei exprimendæ maxime accommodatorum usurpatione. Itaque fugienda sunt verba obsoleta, atque ex antiquitatis ruderibus effossa: adhibenda quæ versantur in sermone, & consuetudine quotidiana, atque imprimis quæ clarissimorum auctorum usu non trita minus, quam splendida, afferenda quæ ejus rei verba sunt, de qua loquemur.

D. Quomodo in sententiis, sive in verborum contextu perspicuitas elucebit?

M. Si neque abrupti pendentesque sensiculi, neque oblongæ, exitumque non invenientes inducantur periodi; si neque, cum dicitur, vel incisim, vel membratim, vel periodice laboret intricata Dictio. Nam & Poetis, ut Oratoribus, sua sunt incisa, sua membra, suæ verborum sententiarumque comprehensiones & clausulæ, tam aperte, quam concinne concludentes.

D. Jam vero qui cultus, qui splendor conveniat poeticæ Dictioni?

M. A proprio dicendi genere, vulgarique recedendum esse Poetæ statuit Aristoteles, (a): cui consentit omnino Horatius: qui ait, (b) non satis esse ad Poetæ nomen pro dignitate sustinendum *puris versum præscribere verbis*, & scribere *sermoni propiora*, si desit *os magna sonaturum*. Quamobrem postea posuit.

Idcirco quidam Comœdia, nec ne Poema
Esset, quæsivere, quod acer spiritus, & vis
Nec verbis, nec rebus inest: nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. D. An

(a) *Cap.* 21. (b) *Satyra* 4.

D. An eadem semper, eaque sublimis dicendi ratio usurpetur a Poetis?

M. Cum tria sint apud Poetas, uti apud Oratores, genera dicendi, tenue, grande, medium, miscentur illa sæpe inter se, ac temperantur in pluribus poematis; distinguuntur tamen aliquando, ac plane secernuntur; atque adeo non sublimem ex æquo dicendi formam omnia requirunt. Quæ tenue, quæ grande, quæ medium dicendi genus postulent, notabitur inferius, cum varias poematum attingemus species. Nunc satis fuerit statuere universe haud vulgarem esse debere Poeticam Dictionem, sed sublimem, sed grandem, sed majestate plenam.

D. Unde comparatur hujus Dictionis majestas?

M. Præter ea quæ diximus, duo insuper ad eam Majestatem conferunt plurimum. 1. Si apposita, quæ vocant, nomina, sive Epitheta aliquid eximii præferant. 2. Si quæ occurrunt tritæ, ac vulgares loquendi formæ, mutentur in alias exquisitiores, ac reconditiores.

D. Quomodo apposita nomina, sive Epitheta aliquid eximii præferent?

M. Si adhibeantur ea, non ut impleatur duntaxat, sed etiam ut ornetur versus; si contra quærantur ea, quæ vim ac dignitatem vocibus, quibus attribuuntur, adjiciant.

D. Qui numerus Poeticæ Dictioni convenit?

M. Numerum ab Oratorio longe diversum indicit Aristoteles, qui numerus μέτρον græce, latine *dimensio* appellatur.

D. Quid requiritur ad illum Numerum?

M. Duo requiruntur maxime. 1. Ut religiose servetur legitima pedum dimensio. 2. Ut numerus ille rebus ipsis, quæ celebrantur, sit imprimis accommodatus.

D. Quomodo legitima servabitur pedum dimensio?

M. Servabitur 1. Si prosodiæ syllabarum, ac pedum ratio habeatur, quæ omnis disciplina traditur a Grammaticis.

2. Si

2. Si versus solutus non sit, & sine cæsura; qualis est hic Ennianus:

Sparsis hastis longis campus splendet & horret.

3. Si crebriora continenter in versu non subsultent monosyllaba, ut in hoc Ovidiano:

Si quis, qui, quid agam forte requirat, erit.

Vel contra grandiorum vocabulorum continuatio non inducatur: ut enim minutiores voculæ humilitatem, sic grandiora vocabula tumorem in versum inducunt.

D. Quomodo numerus rebus ipsis accommodabitur?

M. Si pedes ita coagmententur, ut verba rebus ipsis quasi concinere videantur. Atque ideo observandum est qui numeri ad lætitiam & celeritatem, qui ad moram, difficultatem, molem & tristitiam, qui vero faciant ad lenitatem; & exempla ponenda in versu omnium spectatissimo, hexametro, locaque adducenda ex Poetarum principe Virgilio.

D. Qui numeri valent maxime ad lætitiam & celeritatem?

M. Valent ad id numeri fluentes ac liberi, cum ipsa Carmina decurrunt expedita perpetuis, aut frequentibus Dactylis; raris, aut molliusculis elisionibus.

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere sui; ferit æthera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
.... Trepidusque repente refugit.
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

D. Qui pedes ad moram, difficultatem, molem, tristitiam, & majestatem faciunt?

M. Faciunt ad hoc crebri spondæi, elisiones, verba longiora:

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
Amissum Anchisen flebant, cunctaque profundum

Pon-

Pontum aspectabant flentes.
Ille inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Item excurrit aliquando hypermetrum carmen, & rerum granditatem ipsa syllabarum redundantia demonstrat:

Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant Juvenes.

Exit quoque versus in monosyllabam cum energia in sequentibus exemplis. *Procumbit humi bos. Mole sua stat. Tota nituntur opum vi. Subsedit aqua mons.*

D. *Qui pedes faciunt ad lenitatem carminis?*

D. Lenissime fluit alternorum dactylorum & spondæorum contemperatione.

Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Neque pedum tantum, sed litterarum etiam ratio habenda est: cum aliæ suavitatem concilient, asperitatem inducant aliæ, quædam granditati serviant & amplitudini. Primum elementum A nescio qua mollitie carmen exhilarat; quare a sapientissimo Poeta libentissime frequentatur.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Vel, *mista rubent ubi lilia multa*
Alba rosa.

Potuisset *luteolis calthis* scribere, & *multis rosis*. E & I. sonum habent exilem, V. vastitatem sonat: *Vastos volvunt ad littora fluctus. Vorat aquore vortex.* Littera O omnium lenissima, maximeque sonora est. R carmini affert asperitatem, ideoque dicitur littera canina; hanc sæpius usurpavit Virgilius agens de Cane inferorum:

Cerberus hæc ingens latratu Regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.

Quam apte dicitur! *ergo agre rastris terram rimantur.* Sed hæc sufficiant, ex quibus capi possit con-

conjectura cæterorum: est enim eadem ratio pedum in aliis carminum generibus, ubi metrum rebus aptari debet, ut in versu heroico.

CAPUT XI.

De caussa efficiente Poeseos.

D. Quæ est caussa efficiens Poeseos?
M. Mens Poetæ certis imbuta præceptis, & arte instructa omnem efficit Poesin.

D. Igitur Poetica appellanda est Ars?

M. Sane appellanda est. Quia Poetica est *facultas animi, quæ certis quibusdam, & non errantibus præceptis ad finem suum tendit, opusque perficit*: quæ est Artis notio.

D. Num Furor aliquis Poeticus, quod ajunt, requiritur ad efficiendam Poesim?

M. Requiritur utique, si modo bene intelligatur, quid veniat furoris illius nomine.

D. Quid est ille Furor?

M. Est quidam impetus vehementior, quo cum impellitur animus, furere dicitur: oriturque ille impetus a variis animi perturbationibus, quæ undecim numerantur, Amor, Desiderium, Gaudium, Odium, Fuga, Dolor, Ira, Spes, Desperatio, Audacia, Timor. Neque existimandum est afflari divinitus, ut fabulantur poetæ, hujusmodi Furorem; verum cum vehementius solito his agitur, quos appellavi, motibus, qui poetice scribit, & in rei cujuspiam maxima contentione fertur contemplationem, calorem concipit, vi cujus sic loquitur, ut a sensibus alienatus esse videatur.

D. Quandonam opus est illo Furore?

M. Nihil opus est illo Furore, cum Poeta Fabulam instruit suis partibus; nihil, cum aliquid sedate ac considerate imprimis canendum est; sed in aliquibus orationibus, narrationibus, de-

descriptionibus, objurgationibus, querelis, &c. commode aliquando accidit ille Furor.

D. Utra plus conferat ad Poesin, Ars, an Natura?

M. Parum certe sine Arte Natura, parum Ars sine Natura conferet. Ars enim sine Natura tristis est & exsucca; Natura sine Arte vasta est & inculta. Ita sentit Horatius, cum ait:

Natura fieret laudabile Carmen, an Arte,
Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit &c.

Quare quod vulgo dici solet, nasci poetas, sic intelligendum est, ut multae dotes a natura requirantur ad poesin, quae tamen arte debent perfici.

D. Qui fuere poeseos Inventores?

M. De hoc certi nihil afferri potest. Orpheus certe, Linus, Musaeus, aut Homerus Inventores Poeseos dicendi non sunt, sed Illustratores, ante quos constat floruisse Poetas.

CAPUT XII.

De fine Poeseos.

D. *Quis est finis Poeseos?*

M. Est jucunda morum Institutio. Nam eo tendit Poeta, ut doceat delectando, juxta illud Horatii: (a)

Aut prodesse volunt, aut delectare poetae,
Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitae.

Et paucis interjectis versibus:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci;
Lectorem delectando, pariterque monendo.

D. Explica quaeso singulas responsionis voces.

M. 1. Cum Finis sit id, cujus gratia aliquid fit;

(a) Cap. 1.

sit; sitque alius Arti, alius Artifici propositus, non agitur hic de fine Artificis, qui est multiplex: cum possit Poeta scribere vel ut famam aucupetur, vel ut aliquem demereatur, vel ut gratiam alteri reponat, vel ut opes comparet. Verum agitur de fine Artis, propter quem est illa instituta: ac proinde ad quem suapte natura collineat.

2. Dicitur ille Finis esse *morum institutio:* quia Civilis Facultas cum ad perfectum Civitatis statum, Civiumque facultatem tota collimet, & Ars poetica ad Civilem illam Facultatem, ut pars illius eximia, pertineat; plane sequitur poesin omnem ad ejusmodi felicitatem referri. Cum autem ejusmodi felicitas per optimam morum informationem comparetur, ad eum finem instituta est poesis, ut hoc modo mores informet; atque etiam cum id commode obtineatur, actiones humanas celebrando, in quibus sita est felicitas, ut superius tradidimus; hinc factum est, ut actiones celebrando, mores instituat.

3. *Jucunda* appellatur *morum informatio*, propter naturam poeseos, cujus ornatus omnis miras habet delitias. Et sane debuit in hoc poesis, ut in multis aliis, a Philosophia, quæ ad mores pertinet, discrepare: ut austere & jejune Philosophia, jucunde vero, ac plane magnifice mores Poesis instituat.

D. Nonne Fines sibi propositos peculiares, ac diversos habent singula poeseos genera? quomodo igitur poesis habere dicitur pro fine jucundam morum institutionem?

M. Habent utique suos diversos fines, ut dicetur inferius, sed huic primo Fini subjectos sic, ut singuli omnes ad eum demum referantur: v. gr. Epica Poesis ex fine suo ad id instituta est, ut Viros Principes admirabili dictione ad virtutes comparandas incitet; Tragica, ut quasdam animi perturbationes componat, ac perpurget, sed isthæc ad ineundam quoque morum institutionem referuntur. Neque etiam alio tendunt Comœdiæ sales, ac

ici, quam ut derisa palam vitia, ludibrioque in scenis habita, evitentur diligentius; sicque suo modo ad hanc morum informationem alia Poeseos genera revocantur, ut patebit clarius ex dicendis inferius.

CAPUT XIII.

De Divisione Poeseos.

D. Quomodo dividitur Poesis?

M. Cum Poesis omnis, ut initio diximus; aut fere omnis in imitatione posita sit: optima erit illa Poeseos divisio, quæ a diverso genere imitationis petetur.

D. *Quotuplex est imitandi genus?*

M. Triplex vulgo assignatur. Nam in poematis vel Poeta per se ipse narrat aliquid, & sermonem alterius refert sine ullis personarum inter se colloquiis; vel non ipse narrat, sed alios tantum loquentes, & quasi negotiantes inducit; vel & ipse narrat aliquid, & alios inducit loquentes agentesve. Atque ex tribus his Imitationis generibus, totidem petuntur genera poeseos.

D. *Qui vocas primum genus?*

M. Narrativum, vel Enunciativum; hoc genere continetur, v. gr. tres primi libri Georgicon, & prima pars quarti; ubi semper ipse narrat Virgilius.

D. *Qui vocas secundum genus?*

M. Dramaticum, sive Activum, quo genere comprehenduntur Tragicæ & Comicæ Fabulæ; item Eclogæ, ubi inducuntur agentes inter se Pastores.

D. *Qui vocas tertium?*

M. Mixtum appellatur, in quo Poeta ipse narrat, atque etiam personas inducit agentes. Ad hoc genus pertinent Ilias & Odyssea Homeri, Æneis Virgilii, & alia id genus Poemata. Ad hæc tria

g-ne-

genera facile revocantur, ut patet ; omnes elegiæ, odæ, satyræ, aliaque poemata.

D. Nonne alia est divisio poeseos?

M. Alia est maxime vulgaris in poemata multum aliunde inter se discrepantia. Celebrantur imprimis Epopœja, Tragœdia, Comœdia, Satyra, Elegia, Oda, Epigramma ; &c. Unde Poetæ Epici, Tragici, Comici, Satyrici, Elegiaci, Lyrici, Epigrammatarii appellati: de quibus singulis, aliisque momenti alicujus poematis deinceps agendum erit.



INSTITUTIONUM POETICARUM
LIBER II.
De Epopœja.

M.  Um principem inter Poemata locum obtineat Epopœja. de illa nobis modo agendum est. Illius naturam ac varias affectiones ut exponamus, definitio primum illius proferenda est, deinde examinanda Materia quam statuemus esse Actionem, cujus dotes singulas prosequemur; tum Forma explicanda, & apta partium tradenda Dispositio, ubi de Propositione, Inventione, Narratione, & Epilogo poematis Epici, quantum satis erit, disputabitur.

CAPUT PRIMUM.
Definitio Epopœjæ.

D. QUæ est vis, & potestas hujus vocis, Epopœja?

M. Ut locutio omnis oratio est, antonomastice tamen Oratio appellatur ornatissima, qua utuntur Eloquentes; sic *Epos*, quod generatim Verbum significat, addictum est speciatim Poesi; atque ab illa communi significatione contractum est ad Poema, quod vocatur Heroicum. Item ποιεῖν Græce idem est ac latine *facere*, vel *fingere*. Hinc fit, ut Epopœja secundum vim vocis sit quasi fictio, seu scriptio poematis Epici, quod Heroicum dicitur.

D. Quo-

D. Quomodo definitur Epopœja?

M. Definitur *Imitatio Actionis unius, totius, vera, verisimilis, illustris, felicis, & a nobili persona profecta, narratione dramatica, & versu hexametro, qua Viros Principes ad primarias virtutes excitat, atque adhortatur.*

D. Explica, quaeso, singulas voces.

M. 1. Dicitur *Imitatio*, quia poesis omnis; aut quæ saltem spectatissima est, ut Epica, in imitatione posita est.

2. Dicitur *Actionis imitatio*, quia Actiones humanæ sunt materia poeseos, ut supra docuimus (a).

3. Dicitur *Actionis unius, totius, vera, verisimilis, illustris, felicis, & à nobili persona profecta*: quibus verbis designatur materia Poematis epici: ratione cujus partim convenit cum aliis poematis, partim ab iisdem discrepat, puta a Comœdia, cujus materia est Actio vulgaris, & plerumque obscura.

4. Dicitur *Imitatio Actionis narratione dramatica insignis*, eo sensu, ut nec poeta semper ipse narret, sed personas loquentes, agentesve sæpe etiam inducat; quod jucundius multo vitæ rite instituendæ hoc pacto præcepta tradat

5. Dicitur hæc imitatio *versu hexametro exornata*: quod necessario illud requiratur ad Epicum Carmen, juxta illud Horatii:

Res gesta Regumque, Ducumque & tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

6. Dicitur *imitatio Actionis, qua Viros Principes ad primarias virtutes incitet*: quibus verbis attingitur Epopœjæ finis. Ad id enim illa instituta est, ut omnium animos, sed Principum præsertim ad præclara facta accendat, ad eaque quasi viam sternat, ponendo ob oculos illustrem quandam actionem, de qua in capite proxime consequenti.

(a) *lib. 1. cap. 2.*

CAPUT II.

De Materia Epopœjæ.

D. QUa est materia Epopœja?
M. Est Actio personæ nobilis, una, tota, vera, verisimilis, illustris, ac felix.

D. Quare debet esse Actio persona nobilis?

M. Quia cum finis ille sit Epopœjæ propositus, ut Viros Principes ad præclara facta accendat; debet certe proponi personæ actio, quam imitari sit gloriosum. Certum est autem sibi laudi vertere Princeps, non plebejas, aut obscuras personas, sed nobiles, atque illustres imitari. Sit itaque illa Actio insignis alicujus v.g. Herois, qui Principum animos laudis studio incensos ad sui admirationem, imitationemque rapiat.

D. Quem vocas Heroem?

M. Antiqui fabulantur Heroas esse quoddam genus Deos inter, & homines; natos illos vel ex Dea aliqua, & mortali viro, ut Achillem, & Æneam; vel ex Deo, & muliere mortali, ut Herculem. Jam vero Heros virum extraordinarium sonat: in quem tria hæc maxime dicuntur confluere. 1. Corporis habitudo firma, ac laborum patiens. 2. Animus præsens, erectus, & robustus quodammodo, cui ab optima corporis temperatione accedat magnitudo. 3. Divina quædam vis, & efficientia: qua, qui afflatur, supra hominem & sapere & posse videatur.

§. I. Actio Fœminæ in materia Epopœjæ.

D. ITane Actio Epopœja debet esse Herois, ut non possit esse Fœmina, qua dicatur Heroina?

M. Actionem Fœminæ esse posse materiam Epopœjæ affirmant aliqui, negant alii. Utriusque partis rationes subjicio.

Qui

Qui affirmant, ajunt, 1. Non obesse Fœminæ animum, qui virili similis est, ejusdemque naturæ; huic posse esse armorum usum; atque etiam Fœminas aliquando & corporis firmitate, & laborum patientia viris præcellere. 2. Fœminæ actionem esse sæpe materiam Tragœdiæ; quidni & Epopœjæ? 3. Fœminæ actione ad præclara facta accendi posse Viros Principes, quibus turpe sit ea non posse agere, quæ fœmina gesserit. 4. Fœminas a præstantissimis Poetis inductas esse in Epopœjas, & maximis celebratas laudibus propter fortitudinem bellicam, puta Chlorindam a Tasso, a Virgilio Camillam. 5. Excitari a Deo posse Heroinam quamdam, cui belli alicujus summa committatur; quæ habeat omnes Herois dotes, nullos habeat sexus defectus.

Qui vero negant Actionem fœminæ esse posse materiam Epopœjæ, respondent, 1. Animorum quidem sexum esse nullum: at fœmineum corpus esse imbellius, cujus contagione languet animus: neque rebus bellicis perfecte tractandis idoneas esse fœminas: quibus Aristoteles curam rei domesticæ attribuit: arma vero, & ea, quæ non modo extra civitatem, sed etiam extra privatos parietes fieri necesse est, viris concedit.

Reponunt 2. Actionem fœminæ convenire Tragœdiæ, non item Epopœjæ; quia finis hic est Tragœdiæ, ut excitentur, purgenturque quidam animi affectus; qui finis tam facile obtinetur, sive viri, sive fœminæ celebretur Actio; at Epopœjæ cum sit ille finis, ut ad ardua quæque, & præclara facta accendant Viros Principes, huic rem imparem esse fœminæ Actionem; unde

Negant 3. Actionem fœminæ talem esse posse, quam velint Viri Principes imitari. Esto possit illa fœminæ Actio incitare Viros Principes ad arduum aliquid suscipiendum: sed actione illi fœminea movebuntur tanquam argumento, quod vocant *a minori ad majus*: quod turpe sit viro, maxime Principi, illud non aggre-

di, quod fœmina fortiter gesserit: at enim non erit hæc Actio exemplaris loco, quod sibi proponant Viri Principes imitandum.

Observant 4. Nullam unquam fœminæ Actionem a præstantissimis poetis in materiam Epopœjæ fuisse assumptam; celebratas quidem a Tasso, & Virgilio fœminas; sed in Episodia quasi contrusas illas fuisse; atque etiam in pœnam temeritatis obscura morte fuisse mulctatas: ne fuso imbelli, indignoque sanguine virum aliquem fortem contaminarent. Sic Chlorinda, de nocte, & ab imprudenti Tancredo perimitur apud Tassum; ab ignobili viro occiditur Camilla apud Virgilium. Atque etiam fictitiæ illæ Heroinæ non stant ab Heroe Epopœjæ; immo ipsi adversantur, ut Chlorinda quæ Mahometanis, & Camilla, quæ Turno militabat: Adde quod unam Camillam uno in libro pugnantem adducit Virgilius, quæ Venatorem, & Sacerdotem interimat, Heroem nullum.

Notant 5. Actionem fœminæ a Deo excitatæ, quæ nullos habeat sexus defectus, non esse aptam Epopœjæ: quod solvatur hoc pacto Actio primaria per machinam, quod vitiosum imprimis esse contendunt. Verum ne quid modo dicam de solutione per machinam, de qua postea in Forma Epopœjæ; belle reponant hujus secundæ sententiæ patroni de Actione Heroinæ ordinarie, at non extraordinarie, & per miraculum a Deo excitatæ, procedere quæstionem. Atque hæ sunt utriusque partis rationes, quæ suum utrimque pondus, suamque, quamvis forte non ex æquo, videntur habere probabilitatem.

§. II. Actio Epopœjæ quomodo Una.

D. Quo sensu *Actio Epopœja debet esse Una*?

M. Eo sensu, ut sit illa Actio per se simplex, nec dividi possit in plures Actiones primarias. Sic Virgilius Trojæ ruinam, & multiplicia sui Herois facta contexuit in Æneide, quæ

quæ sunt quidem variæ per se Actiones; sed habet tamen unam, simplicemque Actionem, eamque primariam, quæ est in Italia Religionis, Regnique per victoriam de Turno constitutio: unde pendet Herois felicitas, ad quam cæteras omnes retulit, tanquam Actiones secundarias.

D. Quare una debet esse Actio Epopœjæ?

M. Hanc affert rationem Aristoteles, quod omnes artes, quæ imitatione aliquid perficiunt, ad unum quid imprimis absolvendum allaborent, cujus gratia alia esse videantur: talis v. gr. Pictura, quæ unum aliquid in unaquaque tabella sic perpolit, ut cætera ad id referri omnia satis intelligantur.

D. Qui Poetæ contra Epopœjæ peccant unitatem?

M. 1. Qui multas Actiones unius, ejusdemque Herois primarias uno poemate complectuntur. Reprehendit certe Aristoteles eos, qui ab Hercule, vel Theseo res omnes præclare gestas uno eodemque opere definiri posse putaverunt. Vitio vertitur Statio quod in Achilleide Herois sui vitam persequi velit integram; canit enim initio poematis:

Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam succedere Cælo
Diva, refer. Quamquam acta viri multum inclyta cantu
Mæonio, sed plura vacant. Nos ire per omnem
Sic amor est, Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba, nec in Hectore tracto
Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.

2. Qui duas diversas Actiones primarias, quod uno eodemque tempore contigerint, una Epopœja velit celebrare, esto id concedatur Historiæ, at Epopœjæ non licet.

3. Qui plures Heroas inducunt; quibus eandem ex æquo gloriam tribuant. Plures adsint, esto, uno in poemate Heroes: modo unus cæteris videatur præcellere, cujus sit Actio primaria. Sic Pallas & Tarchon Æneæ nihil officiunt gloriæ: quamvis

fortiter pugnet uterque, atque unus multum conferat ad victoriam de Turno reportandam.

§. III. Actio Epopœjæ quomodo Tota.

D. *Quo sensu Actio Epopœjæ debet esse Tota?*

M. Eo sensu vult esse Totam Aristoteles, ut sit in illa Initium, Medium, & Finis.

D. *Quid intelligis per Initium, Medium, & Finem Actionis?*

M. Per Initium intelligo caussas, & consilia Actionis suscipiendæ; per Medium, caussarum illarum effectus omnes accipio, & effectuum difficultates ad felicem exitum perducendorum; per Finem vero illarum omnium difficultatum solutionem interpretor.

D. *Rem pone in exemplo.*

M. Exemplum esto in Æneide. (a) Æneas incensa Troja in eam regionem, unde majores sui venerant, vocantibus fatis, collecta Trojanorum manu conferre se constituit: *Ecce initium*. Post multos terra marique exantlatos labores, Junone totam Trojanorum gentem dirissimis odiis ubique prosequente, in Italiam tandem appellit. Amice a Latino rege accipitur, atque etiam in generum adsciscitur. Ægre admodum id ferens Turnus, Dauni Rutulorum regis filius, qui jamdudum Laviniæ Latini filiæ nuptias ambiebat, grave bellum movet contra Æneam, quocum sæpe pugnat, & atrociter: *en Medium*. Sed victor tandem Æneas, Turno occiso, & Laviniam & regnum obtinet: *en Finis*. Reliqua sunt in Episodiis.

D. *Quid itaque Maphæus Vegius librum adjecit Æneidi, in quo dolorem Rutulorum, Dauni fletum de morte filii, nuptias Laviniæ, & Æneæ Apotheosin prosecutus est?*

M. Vitiose nimirum, & inepte egit: cum id satis intelligatur consecutum, & multa circa duo postrema insinuet Virgilius in suo opere absolutissimo.

D. An

(a) Cap. 5.

D. An ideo perfecta dicenda est, quod Tota sit Actio Epopœja?

M. Cum tota sit illa actio, cui nulla pars deest; perfecta ut sit, requiritur præterea, ut partes inter se apte cohæreant, accedatque rerum omnium perfectio, & absolutio. Quare præcipit Philosophus, ut poeta, qui Fabulam recte velit constituere, non tantum eam non incipiat temere, aut finiat, sed etiam formis traditis insistat. Verum & hæc, & quæ ab eodem traduntur de magnitudine Actionis, commodius, cum agetur de Forma Epopœjæ, tractabuntur.

§. IV. Actio Epopœjæ qui Vera, & Verisimilis.

D. *Quo sensu debet esse Vera Actio Epopœja?*

M. Eo sensu, ut Poeta teneatur proferre Actionem, quæ vere contigerit; quam tamen sic ornabit, ut ornamentis studeat magis verisimilitudini, quam veritati.

D. Quare Actio Epopœja debet esse Vera?

M. Quia nemo ad præclare aliquid gerendum incitabitur proposito aliquo consimili facto, quod certe tamen cognoverit esse falsum; ac proinde fine suo excideret Epopœja, si falsa induceretur Actio primaria. Idem plane de Tragœdia dicendum est, cujus Actio illustris sic vera debet esse, ut moveat

D. Quo sensu debet esse Verisimilis Actio Epopœja?

M. Eo sensu, ut, quod narratur, credi facile possit contigisse. Nihil præcipit studiosius Philosophus, quam ut verisimilitudinis habeatur ratio.

D. Quare debet esse illa Actio verisimilis?

M. Quia non satis est aliquid esse verum, nisi & illud idem verisimile sit, ut ad imitationem excitet. Nam qui fieri potest, ut, si Actio proponatur, quæ quidem vera sit, sed vires tamen humanas longe superet, hominem illa ad simile quid suscipiendum, aut gerendum impellat?

§. V. Actio Epopœjæ quomodo Illustris, & Felix.

D. *Quo sensu debet esse Illustris Actio Epopœjæ?*
M. Debet esse Illustris vel ratione sui, vel ratione personarum. Illustris est ratione sui Actio Æneidos, ubi inter alia agitur de fundatione Imperii, & constitutione Religionis, juxta illud:

Dum conderet urbem
Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque alta mœnia Romæ.

Illustris est ratione personarum Actio Odyssεæ, quæ Viris non admodum illustribus potest convenire; illa enim sic habet. Ulysses classe amissa, occisis sociis, multiplices iniquissimi maris tempestates expertus, multos annos domo abfuit; rem illius domesticam interea proci decoquebant, ejus uxoris nuptias ambiebant, Telemachum filium insidiis petebant; reversus ille procos ex insidiis occupat, atque interficit. Quid hic illustre præter personas?

D. *Quare illa Actio debet esse illustris?*
M. Quia cum Epopœja Tiros Principes ad præclara facta debeat incitare, proponi debet illustris Actio, quam illi imitentur.

D. *Quo sensu debet esse Felix illa Actio?*
M. Eo sensu, ut felici semper terminetur exitu. Nam præterquam quod sæpe Actio tota non erit, quæ infelici claudetur exitu; si præterea Heros misere pereat, aut grandi aliqua calamitate sub finem excipiatur, concitabit illa indignationem, ac dolorem: verum ad imitationem sui minime commovebit: & sic Epopœjæ finis non comparabitur. Debet itaque Actio primaria, felicem sortiri exitum: quamvis nihil opus sit Heroas inducere usquequaque, & in omnibus adjectitiis actionibus fortunatos.

CAPUT III.

De Forma Epopœjæ.

D. QUæ est Forma Epopœjæ?

M. Cum Forma poeseos universe sit fictio, seu constitutio, & compositio rerum, quæ tractantur in poesi; sic Epopœjæ Forma erit earum rerum Compositio, quæ soli conveniat Epopœjæ; posita illa in quodam cultu, ornatuque Actionis, qualem in superiori capite descripsimus; adeo ut illa Forma nihil aliud sit, quam Actio suo modo composita, culta, ornata.

D. *Quid requiritur ad illam Formam, sive Actionis compositionem?*

M. Requiritur ut Forma illa, Fabula, Compositio (eodem enim recidunt hæc vocabula) sit una, magna, splendida, in suas partes rite distributa, & certo quodam ordine disposita: quibus verbis attinguntur, 1. Fabulæ epicæ dotes. 2. Partes. 3. Dispositio: de quibus omnibus breviter disputandum est.

§. I. Fabulæ Epicæ Dotes.

D. QUæ sunt dotes Epicæ Fabulæ?

M. Tres imprimis memorantur. Unitas; Magnitudo, Majestas.

D. *Quomodo erit Una illa Fabula, quæ res adeo dispares, diversasque complectitur?*

M. Erit illa Una, si tanta sit illarum rerum omnium inter se connexio, ut in unum aliquid videantur coalescere; si, cum loco movetur aliquid, aut resecatur, non bene sibi constet Fabula. Laudat Homerum Philosophus (a), quod sive natura duce, sive arte in Odysseam non conclusit ea Ulyssis facta, quæ alia ex aliis non satis penderent. Ea certe laude florere dicenda est Æneis; cui si v. gr. Trojani excidii, vel Æneæ per septem

(a) *Cap. 5.*

annos peregrinationis narrationem detrahas, a Didone tam apposite expetitam, ut quis, ac quantus vir tenderet in Italiam, plane liqueret; vel si ludorum celebritatem, qui ad posteros transmitti deberent, subducas; vel si descensum ad inferos, ubi tam multa de Romano, quod fundaturus erat, Imperio didicit Æneas, silentio prætermittas; aliquid certe in ea Fabula desiderari sentias.

D. Quomodo Magna erit Fabula Epica?

M. Philosophus (a) Epopœjam comparat cum animali, quod quamvis elegans, si pusillum est, bellum vocari potest, non pulchrum: sin præter modum excreverit, monstrum fiet; debet videlicet naturali florere magnitudine. Ita se habet Poema, quod nec brevius, nec longius esse oportet: sed ita temperatum, ut oculos magnitudine impleat, non fugiat.

Quæ cum universe dicta sint, proprie magis ac definite aliquid de justa Epopœjæ magnitudine statuendum est: monendumque imprimis aliam esse Actionis, aliam Fabulæ magnitudinem: de prima non ago hoc loco, quæ in eo sita est, ut habeat Actio Initium, Medium, & Finem, ut supra docuimus (b): sed de altera institutam esse quæstionem, ac proinde videndum, quæ sit illa magnitudo Fabulæ. Duplicem igitur illam facit Philosophus: unam Actionis, quam vocat, non nudæ, aut suo carentis ornatu, sed compositæ: alteram quantitatis.

D. Quanam est magnitudo Actionis composita?

M. In eo posita est, ut uno circiter anno gesta fuerit, quæ est Actio primaria; sic Iliadi annum dedit Homerus ex animadversione Mambruni, (c) Odysseæ tantum quinquaginta dies idem attribuit, Æneidi quatuor menses supra unum annum concessit Virgilius. Sed Episodia, alia-

que

(a) *Cap.* 5. (b) *Cap.* 2. §. 3.
(c) *Dissert. perip.* q. 7. n. 7.

que adjectitia ornamenta nullis definiuntur temporis limitibus: cum Ilias novem annis, Odyssea undeviginti res gestas comprehendat, & Æneis quidquid interfluxit ab heroicis Æneæ temporibus ad ætatem Augusti Imperatoris.

D. Quanam est magnitudo quantitatis?

M Posita est hæc in numero versuum, qui ad dena fere millia excurrit in Æneide, duodena excedit in Odyssea: octo, vel novem Tragœdias vulgo dicitur æquare versuum numero Epopœja. Sed de hoc argumento redibit sermo inferius, cum de magnitudine dramatis disputabitur.

D Unde arcessetur majestas Epica Fabula?

M. Ex triplici potissimum capite. 1. ex mirabili peripetiarum, agnitionum, episodiorum, machinarumque contextu. 2. ex narratione dramatica, cum personas loquentes, agentesve adducet Poeta. 3. ex dictione illustri ac splendida, de qua diximus superius (a).

§. II. Fabulæ Epicæ Partes.

D. *Quæ sunt partes Fabula Epica?*

M. Duæ assignantur, Nexus nimirum, & solutio.

D. Quid est Nexus Fabula?

M. Est ea pars, quæ ab initio Fabulæ ad eam usque partem excurrit, qua transit Poeta ab infelicitate ad felicitatem in Epopœja, vel contra a felicitate ad infelicitatem in Tragœdia.

D Quid est Solutio?

M. Est altera pars Fabulæ, quæ ab illo transitu usque ad finem pertinet, v. gr. quidquid in Homeri Iliade certamen antecedit, quo decertavit cum Hectore Achilles, in Nexu ponitur: ipsumvero certamen est in Solutione; item in Æneide, quæcumque Æneæ & Turni monomachiæ præmittuntur, sunt in Nexu, ipsa monomachia in Solutione est.

D. *Quid*

(a) 1. l. c. 10. §. 3.

D. Quid potissimum observandum est circa Nexum Fabulæ?

M. Ne varia sic texantur episodia, quæ in Nexum cadunt potissimum, ut animum auditoris delectando longius aberrent ab Actione primaria, aut a fine poematis sint prorsus aliena.

D. Quid observandum est circa Solutionem Fabulæ?

M. Primum, ut si qua sint in Solutione episodia, ne longius petantur illa, sed sponte quasi oblata, & e re nata esse videantur; alterum, ut ea sint brevia imprimis: quandoquidem in Solutione ad finem anhelat auditoris animus, quem proinde longioribus episodiis morari minime convenit.

D. Licetne adhibere Machinam in Solutione Fabulæ?

M. Alii negant, affirmant alii. Qui negant suam 1. ex eo capite tuentur sententiam, quod solutio facta per machinam Epopœjæ fini maxime officiat. Nam qui poterit ad Actionis imitationem Vir Princeps impelli, cui se sentiat plane imparem, cum intelligat auxilio se plusquam humano ad simile aliquid suscipiendum indigere? 2. authoritatem obtendunt Aristotelis, qui vult fieri Solutionem non per machinam, sed ex verisimili, id est, ratione naturali, qua res exire solet.

Qui vero affirmant, ajunt nihil obstare quominus per machinam solvatur Epopœjæ Fabula. 1. ad imitationem Actionis posse impelli Viros Principes, in qua externo quidem numinis alicujus auxilio adjuvatur Heros, dum otiosus ille Heros non remaneat, sed præstet per se plurimum, unde feliciter cedat præclare factum. 2. Sic clausisse Epopœjas præstantissimos Poetas; esse v. gr. machinam in Odysseæ clausula, quæ Minervæ ope solvitur; esse in Æneide, ubi Turni cædes Jovis ductu & auspicio, atque etiam Furiæ ministerio conficitur. 3. Aristotelis præceptionem maxime locum habere in Tragœdia, in Epopœja non item: ratio est, quia

quia in Epopœja cum lateat magis machina, quam in Tragœdia, ubi machina Dei e cœlo delapsi in theatrum producebatur, magis certe animos feriebat subjecta oculis ea machina in Tragœdia, quam suscepta auribus in Epopœja, ac proinde minus erat ferenda in Tragœdia, quam in Epopœja. Vide Frizonium, qui tam fuse, quam docte eo de argumento agit in poetica in dissertatione de narratione (a).

§. III. Fabulæ Epicæ Dispositio.

D. *Quanam est Fabula Epica Dispositio?*

M. Duplex est illa Dispositio, una rerum, partium altera.

D. *Quanam est Dispositio rerum?*

M. Intelligitur illa Dispositio e celeberrima inter magni nominis in re poetica authores orta dudum contentione: quorum alii volunt rerum, prout contigere, servari ordinem naturalem; alii contendunt eumdem debere perturbari: unde quæstio extitit, an Poeta, ut Historicus, hunc servare debeat narrandi ordinem, ut quodcumque primum contigerit, narret primum, & in ultimum locum conjiciat quæ postremo facta sunt: vel contra, an debeat relicto naturali ordine pro arbitratu suo a mediis, aut etiam postremis auspicari.

D. *Quid statuis ea de re sentiendum?*

M. Eodem puto utramque recidere sententiam, ac proinde non tam de re hic, quam de voce disputari; nimirum quo nomine appellanda sit ejusmodi narratio, ambigitur; cum in id omnes consentiant optime fuisse institutum narrandi ordinem ab Homero, Virgilioque usurpatum, rerumque permixtionem perbelle cadere: verum alii contendunt non ideo perturbari ordinem dicendi naturalem, alii perturbari volunt. Quæ ut concilientur inter se, dicendum videtur, non perturbate narrari, si spectetur sejuncta ab episodiis Actio primaria: per-

(a) *Lib.* 2.

perturbate vero narrari, si omnia simul accipiantur, neque a primaria Actione secernantur Episodia.

D. Jam vero quis ordo Partium servandus est in Fabula Epica?

M. Postequam Poeta Actionem, qualem descripsimus, animo informavit, personarum mores, & officia excogitavit, episodia, peripetias, agnitiones, & machinas commentus est, & suum cuique locum destinavit: ac opus tandem aggreditur. 1. proponendo quid canendum suscipiat. 2. invocando nomen aliquod, cujus afflatu arduum opus perficiat. 3. rem totam narratione prosequendo. Denique epilogum aliquando, sive perorationem attexendo. Unde 4. Epopœjæ partes existunt, Propositio, Invocatio, Narratio, & aliquando Peroratio; de quibus omnibus modo nobis agendum est.

CAPUT IV.

De Propositione Epopœjæ.

D. Quid est Propositio Epopœjæ?

M. Est prima pars Poematis Epici, in qua Poeta breviter proponit, & summatim, quid in reliquo poemate sit dicturus.

D. Quæ sunt dotes illius Propositionis?

M. Quod Rhetores in Orationis Exordio præcipiunt, ut apposite, ut breviter, ut verecunde contexatur; idem omnino de Propositione Epopœjæ, quæ est ejus Exordium, dicendum est.

D. Quomodo apposite præmittetur Propositio?

M. Si non vage, sed proprie, congruenterque argumento prætexatur, id est, si rei caput designetur primis versibus; talis est Propositio Æneidos: *Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris Italiam fato profugus, Lavinaque venit Littora.*

D. Quo-

D. Quomodo brevis erit Propositio?

M. Si non excurrat latius in iis, quæ parum ad rem faciunt: ea enim tantum adhibenda sunt, quæ valeant ad docilitatem, & attentionem comparandam cum aliqua, si opus est, benevolentia. In legem brevitatis peccat Jovianus Pontanus in principio Uraniæ:

Qui cęlo radient ignes, quæ sidera mundo
Labantur tacito, stellis quibus emicet ingens
Signifer, &c.

Ubi vides crebram ejusdem rei expressionem, ignes, sidera, stellas, cęlo, mundo tacito &c. quæ omnia eodem recidunt. Quanto aptius est initium Georgicon Virgilii!

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

Hic nihil redundat, sed libri Georgicon singuli singulis fere numeris, aut incisis designantur.

Verum alia est prorsus ratio Panegyricorum; ubi exordimur aliquando a descriptione; vel, proposita quæstione, latius excurrimus: ut videre est apud Claudianum in panegyricis.

D. Quomodo verecunde & modeste fiet Propositio?

M Si absit omnis ingenii, doctrinæque jactatio, omnis granditas, ac tumor, & exquisitior ornatus. Cyclicum Poetam, seu circumforaneum, qui Carmen in Coronam ad gloriam aucupandam recitabat, acriter reprehendit Horatius, quod sic exorsus fuisset:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum:

adjungit mox:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Deinde prædicat Homerum, qui modestius Odysseam incipit, & paulatim assurgit magnificentius.

Quam-

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte?
Dic mihi, musa, virum capta post tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.
Antiaphatem, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.

Initium Pharsaliæ affectatius videtur & tumidius:

Bella per Æmathios plusquam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra
Cognatasque acies & rupto fœdere regni
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas, infestisque obvia signis
Signa, pares aquilias, & pila minantia pilis.

Quæ carmina, ut nihil dicam de voce *plusquam* initio poematis usurpata, tam vasta sunt, sonantia, tumida, ut fateatur Scaliger se videri sibi audire Lucanum, non tam canentem, quam latrantem. Nihilo fuit verecundior Statius in principio Achilleidos.

Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam succedere cœlo,
Diva, refer.

Ubi versu primo sexies literam a repetitam habes, tres continuas voces tetrasyllabas, quæ negotium facessant pronuncianti.

CAPUT V.

De Invocatione Epopœjæ.

D. QUid est invocatio in Poemate Epico?

M. Est ea pars Poematis Epici, in qua numen aliquod invocatur, cujus afflatu Carmen, quod per se arduum est, & humano ingenio majus habetur, tandem perficiatur. Quæ Invocatio attentionem & admirationem commovet; atque etiam summam operi conciliat auctoritatem,

tem, ut quasi divinitus, quæ canuntur, postmodum efferantur.

D. Estne semper adhibenda Invocatio?

M. Cum grave aliquod scribitur poema, illa adhibetur; in minoribus vero poematis, maxime in panegyricis frequenter omittitur.

D. Sejungiturne Invocatio a Propositione?

M. Sejungitur aliquando, aliquando cum illa involvitur. Latini Epici ut plurimum sejungunt; sic apud Virgilium post hanc propositionem, *Arma, Virumque cano, &c.* sequitur Invocatio, *Musa mihi caussas memora, &c.* Græci vulgo Invocationi Propositionem implicant; sic Homerus orditur Iliadem: *Iram cane Dea Pelidæ Achillis, &c.* Sic Odysseam, *Virum mihi dic musa, &c.* Atque etiam apud Latinos Lucretius, Statius, Vida, & Virgilius ipse in eclogis Invocationem cum Propositione permiscent. Id autem fit opportune, cum opera principibus inscribuntur viris, quos honorifice statim appellamus.

D. Repetitur invocatio in decursu Poematis?

M. Repetitur, cum res gravior dicenda occurrit: ac cum comparatur attentio, cum significatur tanti rem esse, ut opus sit divino quodam afflatu ad eam pro dignitate exponendam.

D. Qui sunt invocandi in poemate?

M. Ethnico Poetæ profana, & commentitia numina liceat invocare; at Christiano Divinus Spiritus, Christus Servator, Virgo Deipara, Angelus Tutelaris, aut is, cujus res gestæ canuntur, Vir Sanctus implorandus est. Item si res præclare gestas Ducis alicujus, aut Principis scribimus, aut si illi opus dicamus, commode ille potest invocari, uti exemplo suo docuit Virgilius in 1. Georg. his luculentis carminibus:

Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura Deorum
Concilia, incertum, Urbesne invisere Cæsar,
Terrarumque velis curam, &c.

Sic Lucanus Neronem in Pharsalia, Valerius

Flaccus

Flaccus initio Argonauticon, & Statius initio Thebaidos Domitianum invocant. Atque hic observandum est, licere Poetæ Christiano in Sacro poemate Musas usurpare pro poetica facultate, pro sacro impetu, atque enthusiasmo, Jovem pro cęlo, Neptunum pro mari, pro bello Martem; adeoque hæc aliaque his similia hoc sensu accepta posse poematis de Christianis mysteriis scriptis inseri.

CAPUT VI.

De Narratione Epopœjæ.

D. QUid est *Narratio Epopœja?*

M. Est pars, seu potius corpus poematis, cui Propositio & Invocatio quasi facem præferunt, parantque attentionem, & docilitatem. Cum autem non tam Verum, quam Verisimile poetæ sit propositum; sic non tam rei gestæ, quam velut gestæ expositio dici debet hæc Narratio.

D. Quid est spectandum maxime in illa Narratione?

M Cum tam late pateat, ut totum poema exhauriat; cadunt in illam quæ hactenus omnia de Epopœja, atque etiam de poesi universe sumta diximus. Quare addenda sunt aliqua dumtaxat circa proprias, quæ vulgo assignantur, illius dotes.

D. Quæ sunt illa dotes?

M. Tot Epicæ, quot Oratoriæ Narrationi dotes tribuuntur: Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Suavitas.

D. Quo sensu narratio Epica debet esse brevis?

M. Eo sensu, ut crebriores, prolixioresque digressiones ne adhibeantur, maxime si ad rem parum faciunt. Arguitur Catullus, quod dimidium Poematis de nuptiis Pelei, & Tethidos in descriptione vestis, Ariadnæque fabula consumpserit.

pserit. Fabulæ epicæ, qualem descripsimus, servetur magnitudo, quæ longior non erit, si nihil adducatur inane, quod recidi possit. Nam ut acute Martialis:

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis;
Sed tu, Coschoni, disthica longa facis.

D. *Quomodo debet esse perspicua Narratio?*

M. Si alludatur quidem ad fabulas, & historias; si usurpentur hellenismi, seu formæ loquendi a Græcis desumtæ: sed ita tamen, ut a quovis non imperito facile intelligantur, si vocabula obsoleta, & ex altissimis antiquitatis ruderibus effossa, ac proinde obscura vitentur. Sane ut quisque disertissimus est, ita loquitur apertissime; sed sat multa eo de argumento tradidimus supra in Dictione poetica.

D. *Quomodo debet esse Probabilis illa Narratio?*

M. Eo sensu, ut sit verisimilis: nihil debet magis curare Poeta, ut jam sæpe docuimus. Itaque, quod recte monet Horatius.

Ficta voluptatis caussa sint proxima veris,
Nec quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.

In locis, temporibusque notandis, maxime vero in effingendis personis, hujus verisimilitudinis habenda est ratio.

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores.
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.

inquit idem Horatius, qui varios hominum mores luculenter ibidem describit. Ubi tamen velim advertas, non tam arctis circumdari terminis probabile, ut locus non sit Admirabili, quod in poemate spectatur imprimis.

D. *Quomodo suavis erit Narratio Epica?*

M. Si elegantia, & jucunditate verborum sonantium, leniumque floreat, quod de oratione monet Tullius: si neque asperos habeat concursus, neque disjunctos atque hiantes: si sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto: si eodem semper tenore non decurrant

car-

carmina. Item suavis erit, si intexantur hypotyposes, suspensiones, metaphoræ, exclamationes, & admirationes: si interponantur motus animorum, mores & colloquia personarum, obliquæ orationes, exitus inopinati, dolores, lætitiæ, metus, cupiditates, iracundiæ pro rerum varietate. Sed nihil ad suavitatem accommodatius est, quam idonea rebusque ipsis consentanea modulatio numerorum, de qua egimus in Dictione poetica.

CAPUT VII.

De Epilogo Epopœjæ.

D. *Apponitur ne Epilogus, & quasi peroratio Epopœja?*

M. Apponitur, non semper quidem, sed aliquando tamen & Epopœjæ, & aliis Poematis: atque etiam interdum in ipso decursu operis post aliquod nobile factum. Ita Virgilius in 9. Æneid. narrata Nisi, & Euryali celeberrimi paris amicorum cæde, rem hoc Epilogo sive epiphonemate concludit:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

In fine sæpius suarum operum Epilogum usurpant Poetæ variis modis. Nam aliquando indicant ea, quæ cecinerunt, & temporis, loci, ætatis, occupationum suarum aliquam mentionem attexunt; ita Virgilius in fine Georgic.

Hæc super arvorum cultu, pecorumque canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo:
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti,

Car-

Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa;
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

Aliquando gratulantur, & immortalitatis spe sibi blandiuntur; sic Ovidius in fine Metamorphoseon canit:

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quæ nihil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi;
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum:

In eundem sensum librum tertium carminum claudit Horatius:

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius:
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, &c.

Modestius suam Thebaidam affatur Statius in fine:

Durabisne procul, dominoque legere superstes,
O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? jam cœpta præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris,
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala jam studio discit, memoratque juventus.
Vive precor; nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longe sequere, & vestigia semper adora.
Mox tibi si quis adhuc prætendit nubila livor,
Occidit, & meriti post me referentur honores.

Epilogum Epopœjæ minime necessarium esse demonstrant Ilias, Odyssea & Æneis, quæ ipsa narrationis absolutione concluduntur.

INSTITUTIONUM POETICARUM

LIBER III.

De Dramate.

M.  PICAM Poesim excipit proxime Dramatica; de qua sic disputabimus, ut in Poema Dramaticum universe primum, deinde in singulas ejus species inquiramus, ac pro instituto dicendi ordine, definitionem, materiam, formam, partes, finem, aliasque, quæ ipsum tum generatim, tum singulatim afficiunt, proprietates breviter exponamus.

CAPUT PRIMUM.

Definitio Poematis Dramatici.

D. QUid est Poema Dramaticum?

M. 1. Si vocis etymon spectes, a voce græca latina *agere*, dicitur Poema Dramaticum, quod totum sit in actione: unde Actores vocantur ii, qui eo in Poemate colloquuntur.

2. Si rei definitionem quæras, est *Imitatio Actionis, unius, totius, justa magnitudinis, vera vel falsa, verisimilis, insignis, vel vulgaris, felicis, vel infelicis; qua metro & harmonia, non narrando, sed agendo, vel quosdam animi affectus excitat, & perpurgat, vel vita privata exemplum proponit.*

D. *Explica, quæso, singulas voces.*

M. 1. Dicitur *Imitatio Actionis*, quia cum poesis in imitatione actionum humanarum sit

posita, ut initio docuimus: species quoque illius singulæ ejusmodi actiones imitantur.

2. Dicitur *Actionis unius, totius, justa magnitudinis; vera, vel falsa, verisimilis, insignis, vel vulgaris, felicis, vel infelicis*: quibus verbis partim Dramatica Poesis cum Epica convenit, cujus Actio est una, tota, magna, vera, verisimilis, illustris, ac felix: partim ab eadem discrepat: cum Actio Dramatica possit esse falsa & vulgaris, si scribatur Comœdia; infelix, si Tragœdia.

3. Dicitur Poema Dramaticum *imitari metro & harmonia*: quia inducuntur personæ colloquentes inter se, non soluta, sed vincta oratione: cui cantus in certis quibusdam locis adjicitur.

4. Dicitur *non narrando, sed agendo imitari*: quia nihil ipse Poeta exponit, aut commemorat, ut in Epopœja: sed productis in scenam personis sermonem tribuit, easque inter se agentes, negotiantesque exhibet.

5. Dicitur *vel excitare ac purgare affectus, vel privata vita exemplum proponere*: quibus verbis, tum officium, tum finis poematis illius attingitur. Excitat enim, ac purgat affectus Tragœdia; vitæ privatæ proponit exemplum Comœdia; mores utraque, ut omnis poesis, recte instituit.

CAPUT II.

De Materia Poematis Dramatici.

D. Quaenam est materia Poematis Dramatici?
M. Est Actio una, tota, magna, vera, vel falsa, verisimilis, insignis, vel vulgaris, felix; vel infelix.

D. *Quo sensu debet esse Una, & tota illa Actio?*
M. Eo sensu, ut nec in plures actiones primarias dividatur, nec suo initio, medio, ac fine careat, ut supra docuimus.

D. *Quo sensu debet esse Magna?*
M. Eo sensu, ut eo usque crescere possit ac de-

beat, donec tandem pro rerum natura, quæ aguntur, necessario, vel commode mutatio inferatur in Fabula implexa; & in simplici juxta naturalem rerum exitum finis imponatur, qui supremus est Actionis terminus; qualis sit ille, patebit ex dicendis inferius.

D. Quomodo erit Vera, vel Falsa?

M. Si vere contigerit, aut non contigerit; quando autem, & quatenus veritas, vel falsitas Actioni Dramaticæ conveniat, dicetur postea, cum agetur de Tragœdia, & Comœdia. (a)

D. Quo sensu debet esse Verisimilis?

M. Eo sensu, ut nihil afferatur, quod sit præter naturalem rerum ordinem, spectatis circumstantiis, in quibus dicitur illa actio contigisse.

D. Quomodo Actio illa insignis erit, vel Vulgaris?

M. Talis erit vel ratione sui, vel ratione agentium personarum. Quid conveniat Tragœdiæ, quid Comœdiæ, explicabitur inferius. (b)

D. Quomodo erit Felix, vel Infelix illa Actio?

M. Ratione exitus felicis, vel infelicis solet hic appellari felix, vel infelix Actio; adeoque felix est, quæ licet multas contineat turbas, fortunato tamen exitu concluditur: e contra infelix illa est, quæ quamvis prospere admodum in decursu succedat, luctuoso tamen fine terminatur. Quatenus autem Actioni Tragicæ, vel Comicæ congruat felicitas, aut infelicitas, suis locis exponetur.

CAPUT III.

De Forma Poematis Dramatici.

D. *Quæ est Forma Poematis Dramatici?*

M. Est Fabula, sive Compositio Actionis: in qua, ut in Epica, considerandæ sunt Dotes, Partes, & Dispositio.

D. Qua

(a) c. 8. & 12. (b) c. 9.

D. Quæ sunt Dotes Fabulæ Dramaticæ?
M. Prima est Unitas, altera Simplicitas, tertia Magnitudo.

§. I. Unitas & Simplicitas Fabulæ Dramaticæ.

D. IN *quo posita est Unitas Fabulæ Dramaticæ?*
M. In tanta partium omnium, rerumque diversarum inter se connexione, ut in unum aliquid videantur coalescere.

D. Quomodo simplex esse debet Fabula dramatica?

M. Geminam tribuit huic voci notionem Philosophus, (a) qui Fabulam simplicem modo duplici, modo opponit implexæ. Fabula simplex, quæ duplici opponitur, est ea, in qua oritur unus status eorum, de quibus est Fabula: qui e felicibus infelices, aut e contra ex infelicibus felices existunt. Duplex vero ea est, in qua alii felices, infelices alii evadunt, uti fit in Odyssea, ubi felix Ulysses, Proci infelices, & in Æneide felix Æneas, Turnus infelix efficitur. Atque hoc sensu simplicem Fabulam esse vult Aristoteles (b) in Dramate; aut saltem longe anteponit duplici; quod multo magis valeat ad affectuum commotionem. Commoventur enim illi vehementius, cum grandi omnes, nullo excepto, excipiuntur calamitate in Tragedia; in Comedia vero placet magis, qui lætus est omnibus Actoribus, ac fortunatus exitus.

Fabula simplex, quatenus opponitur implexæ, ea est, quæ est una continua sic, ut sine peripetia, id est sine manifesta in contrarium mutatione, aut agnitione ad finem deducatur. Fabula vero implexa ea est, quæ cum peripetia sive mutatione, aut agnitione, aut utraque simul ad finem usque procedit.

P 2 D. Da

(a) *c. 9. Poet. 1.* (b) *cap. 1.*

D. *Da exemplum utriusque Fabulæ; simplicis, & implexæ.*

M. Habes simplicem Fabulam in Ajace Sophoclis, & Hercule furente Senecæ, & alibi passim multis in locis. Ibi enim nihil accidit præter expectationem; v. gr. Ajax plenus animi, & contemptus impatiens furit; posteaquam vero ad se rediit, præ pudore sibi mortem conscíscit: eodem fere modo Hercules se gerit, nisi quod superſit.

Fabulæ implexæ eximium habes exemplum apud Senecam in Oedipo: ubi cum Oedipum missus Corintho senex adiisset, ut significaret, Regem ipsum a Corinthiis pronuntiatum esse, atque hac ratione gratissimum illi nuncium afferre se existimaret, contrarium efficit. Paulatim enim intellexit ille, se & parricidam, & incestis Jocastæ matris implicatum nuptiis; atque hinc subito, & præter omnium expectationem factus est infelicissimus. Ubi vides mirabilem peripetiam, simul, & agnitionem. Atque hæc Fabula, quæ implexa dicitur, longe præstat simplici, juxta mentem Philosophi, qui præcipit Fabulam Dramaticam esse simplicem, quatenus videlicet illa duplici, non vero quatenus implexæ opponitur.

§. II. Magnitudo Fabulæ Dramaticæ.

D. QUanam est justa Magnitudo Fabulæ Dramaticæ?

M. Quod oculis evenire solet, cum corpus videmus, idem plane accidit memoriæ, cum dramaticam Fabulam excipimus (a) Ut enim, quæ vastiora sunt, oculorum conspectum, sic memoriæ captum, quæ sunt longiora, facile excedunt: utriusque vero facultatis vim, quæ sunt minutiora, fugiunt. Atque hinc factum est, ut quemadmodum in omni corpore, sic qualibet in Fabula dramatica justa quædam debeat esse magnitudo, quam uno quasi intuitu complecti possit auditor; ne

(a) *Arist. cap. 5.*

ne distracto in plura, aut obruto rerum multitudine animo remittant, ac frigeant, qui concitabuntur affectus. Quæ lex pro Tragicis posita, valet etiam pro Comicis: ubi per affectuum commotionem privatæ vitæ rite instituendæ ratio quæritur.

D. Quanam est igitur illa Magnitudo?

M. Præter assignatam superius magnitudinem Actionis, quæ materiæ locum tenet, duplicem insuper facit illam Philosophus: unam Actionis compositæ, quæ Forma est, seu Fabula; alteram, quam vocat quantitatis.

D. Quanam est magnitudo Actionis composita?

M. In eo posita est, quæ dicitur Actio primaria, ut uno Solis ambitu contineatur (a), id est, ut unum diem naturalem, vel nullo modo, vel parum certe excedat, atque etiam ut breviori temporis spatio, pura duabus, vel tribus horis possit definiri; imo eo perfectior, & convenientior erit illa Actio, quo magis accedet ad tempus, quo solet in scena exhiberi. Sed latius multo possunt excurrere, quæ adhibentur Episodia: quamvis & rariora, & breviora esse oportebit, quam quæ adjiciuntur in Epopœja, ne rerum multitudine, ac varietate animus distrahatur, atque obruatur: sic in dramate, ut ad primariam actionem non satis attendat, minusque concipiat, qui debent hinc oriri potissimum affectus. Atque eo sensu accipienda sunt Philosophi verba, cum Tragediam inter, & Epopœjam id quoque assignat discriminis; ut certo, quodam tempore Tragœdia, nullo definiatur Epopœja.

D. Quanam est magnitudo Quantitatis?

M. Quantitas illa posita est in numero versuum: ad ducentos, trecentosve supra mille, atque etiam apud Recentiores ad duo millia recensentur; hæc autem lex optima fuerit, ut inter ternas & senas horas exhibeatur Drama: adeo ut nec brevius sit, nec longius: non brevius quidem,

(a) *Arist. cap. 2.*

ne forte locus non detur concitandis, ut par est, affectibus; non etiam longius, ne possit usurpari illud Plautinum: *Lumbi sedendo, & oculi spectando dolent*. Jam vero quæ sint partes Fabulæ dramaticæ, aut quæ illarum dispositio, patebit ex dicendis capite proxime consequenti, & ex capite 11.

CAPUT IV.

De Partibus Poematis Dramatici.

D. QUæ *sunt partes Poematis dramatici?*

M. Cum Poema dramaticum ex materia constet, quæ est Actio, quam descripsimus, & forma, quæ est eadem Actio composita, excultaque, de qua modo egimus; hinc factum est, ut modo materiæ, modo formæ, modo utriusque simul habita ratione, in suas partes varie soleant Auctores illud poema distribuere. Sex omnino Dramatis in suas partes reperio divisiones.

D. Affer, quæso, & explica illas omnes divisiones.

M. Prima divisio est in *Diverbium & Choricum*, quæ omnium maxime generalis est; nam quidquid est in Dramate, ad hæc duo genera revocatur, ut geratur, aut canatur. Diverbium itaque est ea pars Dramatis, in qua colloquuntur, aguntve inter se, qui dicuntur Actores. Choricum vero dicitur illa pars, in qua iidem Actores vel alii concinunt aliquid cum Dramate connexum, de quo postea.

Altera divisio in *Nexum* & *Solutionem* tam late patet, quam prima: quamvis alio modo Drama partiatur. Nexus in Dramate, ut habet Aristoteles (a), est totum id, quod a principio ad ultimam usque pertinet partem, ex qua fit mutatio fortunæ: hac autem mutatione felicitati infelicitas

(a) *Cap. 16. Poet.*

citas in Tragœdia, & felicitas infelicitati succedit in Comœdia. Solutio vero a mutationis principio ad finem usque protenditur. Sic in Oedipo Senecæ quidquid antecedit illum locum, ubi se tandem & patris interfectorem, & matris maritum agnoscit Oedipus, unde summa oritur infelicitas, est in Nexu, reliqua sunt in Solutione. Sed de Nexu & Solutione, quantum satis est, dictum superius (a) in Fabula epica.

Tertia divisio (b) fit in *Prologum*, *Episodium*, *Exodum*, & *Choricum*. Prologus præcedit primum cantum; diciturque ea pars continere quasi semina omnium, quæ dicenda sunt in reliquo dramate: adeo ut Actorum nemo producatur in Scenam, qui non sit cognitus in Prologo, vel de vultu, vel de nomine, vel alio quovis modo. Quod tamen de illis debet intelligi, quorum res hic agitur præcipue: potest enim e domesticis, amicisve de novo aliquis induci.

Episodium hoc loco, juxta Aristotelem, continet tres Actus intermedios, adeoque tam primariam Actionem, quam secundarias, sive adjectitias comprehendit. Ubi notari velim, & Actionem illam primariam, & secundarias etiam esse Actoris primarii: quamvis hæ quoque actiones adjectitiæ possint esse illorum, qui sunt post primarium Actorem nobiliores, qui vocantur ideo Actores Episodici. Exodus est quintus Actus, ubi Catastrophe, de qua mox, sicuti & de Choro capite proxime consequenti.

Quare divisio fit in *Protasin*, *Epitasin*, *Catastasin*, & *Catastrophem*.

Protasis, quæ significat præstitutionem, & præordinationem, est Dramatis initium, in quo proponitur summa rei sine exitus declaratione, ut animus auditoris suspensus teneatur; nam si præsciretur Fabulæ exitus, non sic placerent, quæ postea dicerentur.

Epitasis, quæ rei constitutionem significat, vel,

(a) *Lib. 2. cap. 3. §. 2.* (b) *Arist. cap. 1. 10.*

vel, ut alii interpretantur, exaggerationem; est ea pars, quæ Protasin proxime consequitur, & in qua turbæ excitantur, totaque rei negotatio magis ac magis involvitur, diciturque Latinis nodus erroris.

Catastasis est ea pars, in qua continuatur rerum perturbatio; ostenditur tamen quomodo possint illæ postea explicari, unde a multis Catastasis confunditur cum Epitasi.

Catastrophe, quæ subversionem sonat, est ea pars, in qua totum negotium dissolvitur; cum Actor primarius a felicitate transit ad infelicitatem, vel contra. Ad extremum drama, si ita fieri possit, illa est rejicienda, quo magis auditoris animus suspendatur, ac delectetur.

Quinta divisio fit in quinque Actus; qui sic appellantur ab actione, cujus sunt partes; quare tot sunt illi Actus, quos habet Actio diversas partes, & præcipuas: quinque recensentur. Primus argumentum exponit, at non rei exitum; secundus rem proprie deducit in actum; tertius turbas ciet; quartus viam ostendit, qua res implicitæ dissolvantur; quintus impedita artificiose expedit. Quare nec plures, nec pauciores esse jubet Horatius:

Neve minor, neu sit quinto productior actu.
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

D. *Estne semper eadem Actuum magnitudo?*

M. Augetur illa, vel minuitur pro ratione rerum, quæ tractantur, quæ possunt esse magis minusve graves, populoque jucundæ. Jam vero Actus in varias Scenas distribuuntur.

D. *Quid vocas Scenam in Actu?*

M. Scena dicitur pars Actus, in qua una, vel plures personæ colloquuntur: designatur autem personarum vel adventu, vel interventu, vel abitu.

D. *Quot sunt Scenæ in uno Actu?*

M. Plures sunt pro ratione rerum, quæ possunt esse graviores, vel jucundiores: pauciores olim adhibebantur, jam ad tredecim, & amplius numerantur.

D. *Quot*

D. *Quot sunt Actores in Dramate?*

M. Plures esse quam quatuordecim, vetant Artis Magistri: qui, si prodeant simul in Scenam, tres tantùm, aut quatuor ad summum loqui permittuntur. Ita præcipit Horatius:

Nec quarta loqui persona laboret.

Sexta divisio (a) fit in *Fabulam, Mores, Sententiam, Dictionem, Melodiam, & Apparatum.* Fabula, quam diximus esse constitutionem rerum, & actionum compositam, instar animæ obtinet in dramate: & continet actiones, mores, affectus, peripetias, agnitiones, ac reliqua, quæ vocantur Fabulæ ornamenta: quare non tam pars Dramatis, quam ipsum Drama debet appellari.

D. *Quomodo itaque Mores, Sententia, & Dictio cum Fabula dicuntur Drama ex æquo partiri?*

M. Quia inter Fabulæ partes sic eminent, ut Drama partiri cum ipsa dicantur ab Aristotele.

D. *Quid hic intelligis per Mores, Sententiam & Dictionem?*

M. Morum nomine docuimus intelligi indolem, & ingenium cujusque; diximusque requiri bonos, convenientes, & æquabilis tenoris. Sententia significat sensus, qui genuini Morum partus esse solent, ac proinde debent esse illis imprimis accommodati. Dictio est dicendi ratio, quæ Dramati conveniat: de qua in Tragœdia & Comœdia.

D. *Quo sensu Melodia, & Apparatus dicuntur esse partes Dramatis?*

M. Quia quamvis extra Drama esse censeantur, ad ejus tamen splendorem cum conferant plurimum (sicut ad commotionem affectuum) duæ quoque Dramatis partes vocantur a Philosopho. (b) Quare de aliis cum egerimus superius, de his quoque modo agendum est.

P 5 CA:

(a) *Arist. cap.* (b) *Cap. 4.*

CAPUT V.

De Choro in Dramate.

D. *Quid est Chorus in Dramate?*
M. Est pars Fabulæ, quæ sequitur, vel etiam præcedit Actum cum concentu. Dicitur 1. pars Fabulæ eo sensu, quo dictum est jam in fine proxime superioris capitis. 2. Sequi Actum, aut etiam præcedere: quod Actui soleat postponi, raro præponi. 3. Cum concentu, quod, qui chorum agunt, concinere soleant, atque etiam aliquando loquantur.

D. *Quid canitur a Choro?*
M. Non canitur quidlibet, sed aliquid cum Fabula conjunctum, & affine argumento, quod tractatur. Nam vel ferebant judicium de iis, quæ agerentur in Fabula, vel favebant bonis, & lugentibus, vel monebant iram esse frænandam, insanosque motus coercendos, vel lugebant cum miseris, vel Superos deprecabantur. Chori officia expressit Horatius his versibus.

Actoris partes Chorus, officiumque virile
Defendat: non quid medios intercinat Actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.
Ille bonis faveatque, & consilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes
Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque, & apertis otia portis.
Ille tegat commissa, Deosque precetur & oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

CAPUT VI.

De Scenico Apparatu.

D. *Quid est Apparatus Dramatis?*
M. In Fabulæ partibus reponitur a Philosopho Apparatus ille, qui recte dici potest ornatus ille omnis,

omnis, quo & Scenæ & Personæ instruuntur ad exhibendam ex arte Fabulam.

D. Qualis debet esse Scena ornatus?

M. Per Scenam hic intelligitur locus, ubi exhibentur Dramata: de quo difficile est aliquid præcipere, ob multiplicem Dramatum varietatem. Agebantur ludi scenici in theatro, quod in modum hemicycli erat: in eo tria spectabantur maxime, Scena, Orchestra, Proscenium. Scena est frons theatri ab uno cornu ad alterum cum coopertura. Orchestra locus est, in quo spectatores Drama intuebantur. Proscenium item locus ante Scenam porrectus, in quem Actores dicturi prodibant. Scena itaque altior erat pulpito, pulpitum proscenio, proscenium orchestra.

D. Qualis debet esse Personarum ornatus?

M. A diverso vestium genere diversas quoque sortiebantur appellationes Dramata, sive Fabulæ: palliatæ vocabantur Græcorum Fabulæ, quod pallio Græci Actores uterentur; Latinorum togatæ, quod togas illi adhiberent; dicebantur item apud eosdem Latinos prætextæ Fabulæ, quæ Regum, Principum, & Virorum illustrium actiones imitabantur, quod personarum istiusmodi esset prætexta; togatæ tantum vocabantur, quæ actiones privatorum hominum exhibebant; quia toga erat vestis popularis, juxta illud Horatii, *vel qui prætextas, vel qui docuere togatas*. De vestium forma, ornatuque in Dramate nihil certi jam potest afferri, quod variantur vestes pro diversitate regionum, ac personarum, quæ in Scenam inducuntur.

Postquam ea protulimus, quæ ad Drama spectant universe, nunc de Tragœdia & Comœdia, quæ sunt ejus partes, videamus.

CAPUT VII.

Definitio Tragœdiæ.

D. QUid est *Tragœdia?*

M. 1. Secundum vim vocis Tragœdia est cantus ob hircum: deducitur enim a vocabulis τράγος *hircus*, & ᾠδὴ *cantus*; quod Tragœdia prius fieret cantando in honorem Bacchi, cui hircus vinearum hostis mactabatur, sive quod hircus præmium esset certantibus, juxta illud Horatii;

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Deducitur etiam Tragędiæ vox, juxta alios, a nomine τρύξ, *Fax*: quia ora fæcibus perlinebant Actores ante usum personarum ab Æschylo repertum, juxta hæc Horatii carmina:

Ignotum Tragicæ genus invenisse camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse Poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentve peruncti fæcibus ora.

1. Definitur (a) Tragędia: *Imitatio Actionis unius, totius, veræ, verisimilis, & insignis, quæ metro, & harmonia, non narrando, sed agendo, misericordiam ciet, ac terrorem, ut affectuum expiationem, seu purgationem inducat.*

D. *Explica, quaso, singulas definitionis partes.*

M. 1. Dicitur *Imitatio Actionis*, quia poësis, maxime Dramatica, actiones humanas imitatur, ut diximus superius.

2. Dicitur *Actionis unius*, *totius*, *veræ*, *verisimilis*, *insignis*: quibus verbis notatur materia Tragędiæ, qua partim convenit cum Epopœja, & Comędia, partim ab iisdem discrepat. Nam materia Epopœjæ est Actio, quæ habet quidem omnes illas dotes, sed debet insuper felici exitu terminari: quod in Tragœdiam non cadit, quæ sæpius infelicem, raro admodum felicem habet exitum: Comędiæ vero Actio vulgaris est, & obscura.

3 Dicitur *metro, & harmonia perfici Tragędia*: quod sermonem non qualemcumque, sed metro-

(a) *Arist. Cap.* 3.

metro adstrictum, ut alia poeseos genera, requirat; item & harmoniam, seu cantum, qui ad affectuum commotionem faciat imprimis.

4. Dicitur *non narrando, sed agendo* exhiberi Tragœdia: quia, cum sit poema dramaticum, tota debet esse in Actione: quo pacto ab Epopœja discrepat, quæ partim in rerum narratione, partim in actione sita est, Poeta modo narrante per se, modo alios narrantes, agentesve inducente.

5. Dicitur *excitare misericordiam, & terrorem, ut affectuum expiationem purgationemque inducat*; quibus verbis Tragœdiæ finis attingitur: de quo postea pluribus.

CAPUT VIII.

De Materia Tragœdiæ.

D. *QUæ est Materia Tragœdiæ?*

M. Est *Actio una, tota, vera, verisimilis insignis, & infelix.* (a)

D. *Quo sensu Actio Tragœdiæ debet esse una?*

M. Eo sensu 1. ut sit quædam Actio primaria, quæ in plures alias dividi non possit. 2. ut omnia, quæ sunt illius Actionis primariæ, in uno eodemque loco facta esse videantur, in eodem cubiculo v. gr. in eadem domo, in eadem urbe, in iisdem castris: unde Tragœdiæ apponi solet; Scena est Romæ, vel Corinthi, vel Athenis, vel alibi, ubi res gesta est. Sed quomodo Actio debeat esse una & tota, diximus alias. (b)

D. *Quomodo debet esse Vera & Verisimilis Actio Tragœdiæ?*

M. Eo sensu, ut vere contigerit Actio primaria: alioqui non multum moveret Tragœdia, si falsa esse crederentur quæ referrentur in scena: crederentur autem esse falsa, si talia essent, quia sunt

(a) *A. ist. cap. 5.* (b) *Lib. 2. c. 2. §. 2. & 3.*

sunt Actionis insignis, quae non solet ignorari: Non ita dicendum de Episodiis, quae, cum sint actiones adjectitiae, per se saepe non adeo spectabiles, nihil opus est esse vera.

D. Possunt ne esse falsa Actionis primariae, quae dicuntur Adjuncta?

M. Duplex genus est hujusmodi Adjunctorum. Primum est eorum, quae sunt per se spectatissima, atque illa tam vera esse debent, quam ipsa Actio, cujus Adjuncta sunt; non licet v. gr. fingere a patre filium vel a filio matrem fuisse interfectam, nisi fide historiae id constet; pro falso enim habetur, quod istiusmodi est, nisi consignetur Historiae monumentis, quae non debuit illud omittere. Alterum genus est eorum, quae sunt minus spectabilia, adeoque non solent, aut certe non debent necessario in Historia notari: quae si verosimilia sint, facile vera esse credentur. Peccabit itaque contra hanc praeceptionem, qui Caesarem naturali morte, non violenta extinctum induxerit; non peccabit qui eundem singulos interfectores alloquentem exhibuerit; quod primum, non item alterum Historia notare debuerit. Qua ratione debeat esse Verisimilis Actio Tragoediae, satis indicatum est superius cap. 3. in materia Dramatis universe spectata.

D. Quo sensu Insignis erit illa Actio?

M. Insignis erit non ratione tantum personarum, quae inducuntur: sed etiam, & quidem praecipue, ratione sui. Nimirum id requirit propositus Tragoediae finis: cum melius multo cieantur affectus, purgenturque, quando illustriores inducuntur personae, quae a summa felicitate ad infelicitatem maximam deveniunt, ut inferius (a) docebitur. Insignem certe, notamque vult esse Horatius hanc Actionem:

Rectius Iliacum Carmen deducis in Actus,
Quam si proferres ignota, indictaque primus.

Quamquam & suus sit in Tragoedia, ut in Epo-

(a) *Cap. 10.*

popœja, locus personis ignobilioribus, seu iis, quæ Actores Episodici appellantur.

D. Quo sensu debet esse Actio Tragediæ infelix?

M. Eo sensu 1. ut sit Actio illa plena luctus, & terroris. 2. Ut infelici plerumque terminetur exitu: quia misericordiam & terrorem debet concitare, ut animi affectus ex fine suo purget.

D. Quomodo delectabit quæ plena luctus erit Tragœdia?

M. Non quidem res ipsæ tragicæ voluptatem afferent, ut notavit Aristoteles (a), sed excellens illarum delectabit imitatio. Nam eorum, quæ vel fugimus, vel detestamur, imagines, ut ferarum formas, & cadaverum affabre factas non sine lætitia intuemur: quod insitum sit a natura hominibus imitari, ut idem observavit Philosophus. Adde quod tantæ calamitatis expertes nos esse, ac doceri, quæ cavere oportet, non mediocriter gaudeamus.

D. Numquid licet aliquandò felici exitu claudere Tragœdiam?

M. Quamvis satius sit exitum Tragœdiæ esse terribilem, & inexpectata felicis fortunæ in luctuosam mutatione stupendum; volunt aliqui tamen licere ab ea lege deflectere in gratiam auditorum, qui domum redire maline læti, quam tristes; adeoque indignius non habitum v. gr. primarium Actorem expedire se posse e magna, quam incurreret, calamitate, atque id unum inquiri contendunt, ut luctuosa sit tota Tragœdiæ facies, ad illius finem obtinendum.

CAPUT IX.

De Forma Tragœdiæ.

D. QUanam est Forma Tragediæ?

M. Est Fabula, sive compositio Actionis Tragicæ.

D. Qua

(a) *Poet. c. 2.*

D. Qualis debet esse illa Fabula, sive Compositio?

M. Debet esse una, simplex, justæ cujusdam magnitudinis, in suas partes rite distributa, & variis Fabulæ ornamentis conspicua: quæ dotes explicatæ sunt superius, cum egimus universe de Forma Dramatis.

D. Quid speciatim præcipitur circa Fabulam Tragicam?

M. Ut Fabula illa sit implexa, id est, ut annexam habeat peripetiam, vel agnitionem, vel utramque simul; atque etiam vult talem esse Philosophus, (a) ut ex peripetia & agnitione oriatur maxima affectuum perturbatio; unde tres Fabulæ illius partes designavit, peripetiam, agnitionem, & perturbationem.

D. Qualia debent esse ornamenta Fabulæ Tragicæ?

M. 1. Peripetiæ, & Agnitiones, ut diximus, sunt adhibendæ, concitandis affectibus cum primis idoneæ. 2. Inserenda Episodia pauciora, & breviora, ut supra monuimus. 3. Machinæ usurpandæ, modo non in solutione Fabulæ, sed in nexu, ut docuimus. 4. Circa Mores præcipitur non tantum ut boni sint, convenientes, & æquabilis tenoris, sed etiam graviores, severioresque pro rerum, quæ inducuntur, natura. Unde matronæ gravi confertur Tragœdia apud Horatium:

Effutire leves indigna Tragœdia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit satyris paulum pudibunda protervis.

De eadem sic habet Ovidius: (b)

Omne genus scripti gravitate Tragœdia vincit.

5. Aspergendæ Sententiæ, quæ graves personas deceant: qua cautione, superius tradidimus. 6. Dictio tam gravis esse debet, quam res ipsæ, quæ tractantur; versus jambicus trimeter usurpandus, quem vocat post Aristotelem Horatius *alternis aptum sermonibus*: quod ille numerus

(a) *Arist. c.* 11. (b) 2. *Trist. lib.* 1. *c.* 9.

familiaris sit, & in omnem facile sermonem incurrat. Demittit tamen se decenter Tragœdia, uti se attollit Comœdia, ut idem observavit Horatius:

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

CAPUT X.

De Fine Tragœdiæ.

D. *Quis est Finis Tragœdiæ?*
M. Finis Tragœdiæ est concitare quosdam animi affectus ad reliquos omnes purgandos. Hanc affectuum expiationem, purgationemque, quam vocat, Tragœdiæ, ut finem, indicit Aristoteles: cui consentiunt alii, qui ea de re scripsere Authores. Atque hic finis tam accurate, quam dilucide breviterque discutiendus est, cum exquisitus ab eo tum argumentorum, tum personarum, qui solet hic præcipi, delectus, atque adeo optima pendeat Fabulæ Tragicæ constitutio. Quare disquirendum, 1. Qui affectus in Tragœdia? 2. A quibus? 3. Quomodo debeant concitari?

§. I. Qui affectus concitentur in Tragœdia.

D. *Qui affectus concitantur in Tragœdia?*
M. Misericordia & Terror, quorum opere purgantur omnes alii Affectus: unde Scena appellata est quædam quasi palæstra humanorum affectuum, ubi præparantur illi, & perficiuntur.

D. *Quomodo purgant alios Affectus Misericordia, & Terror?*

M. Misericordia tangimur, cum videmus aliquem grandi aliqua calamitate pressum, præsertim immerentem: timemusque, ne quid simile

mile nobis contingat quod alteri nobis quodammodo æquali accidit ; & sic misericordia parit timorem , cautumque præstat , quem afficit , ne gerat aliquid , unde tanta sibi miseria proveniat . Idem ad objectam gravis infortunii speciem terror incussus , ejusmodi vitandi mali desiderium injicit : quo desiderio efficitur , ut affectibus moderemur , qui sunt veræ omnium germanæque caussæ nostrarum calamitatum .

§. II. A quibus concitentur affectus in Tragœdia.

D. *Quinam debent concitare Misericordiam & Terrorem in Tragœdia?*

M. Multo melius Actores, qui neque improbi, neque admodum probi sunt, sed inter illos medii , & qui cum amicis rem habebunt , aut consanguineis, illos affectus commovebunt .

D. *Quare minus commovebunt , qui sunt improbi?*

M. Quia ut Improborum felicitas indignationem parit ; sic non parit infelicitas misericordiam, aut terrorem ; non misericordiam , quia dignum existimat quisque Improbum calamitate , qua premitur ; non terrorem , quia nemo sibi eventurum putat,quod improbi culpa factum esse videt , terreatur esto, qui scelestum affligi scelestus aspicit : sed vulgo non sunt aut censentur improbi , qui adsunt spectatores, adeoque non est existimandum , Improbi calamitate illos esse perterrendos .

D. *Non poterunt igitur Improbi in scenam produci?*

M. Poterunt utique , ut jam præmonuimus , sed ea adhibita cautione , ut , si minus misericordiam , terrorem saltem vel probis spectatoribus incutiant : quod sane fiet , si non tam ex culpa , quam ex errore humano lapsi videantur .

D. *Quare minus apti sunt movendæ commiserationi , incutiendoque terrori , qui sunt maxime probi?*

M. Quia

M. Quia qui probus est imprimis, cum sit infelix, non parit misericordiam, cum solam pariat indignationem, eamque maximam, si abominando facinore tollatur e vivis; non terrorem, quia, ut tradit Aristoteles, nemo sibi propter probitatem idem eventurum esse putat, cujus præmium est felicitas.

D. *Non licebit ergo probos in Scenam producere?*

M. Constat Christianos Martyres datos esse aliquando feliciter in theatrum, uti & viros alios probos, qui semel aut amore ducti impotentius, aut ira abrepti vehementius cæco quodam impetu mortem aliis intulerunt. Quare lex illa, quæ improbos, probosve arcet a theatro, pro prima Tragœdiæ forma posita est: nec quidquam aliud voluit Philosophus, cum sic præcepit, quam quid sit ea in re præstantissimum, indicare.

D. *Quem facis Actorem medium Probum inter & Improbum?*

M. Is est, juxta eundem Philosophum, qui nec virtute, nec vitio admodum excellit, quale Oedipum fuisse accipimus: cujus neque magnę virtutes, neque summa vitia commemorantur, quæ abripere in contrarium affectus auditoris solent.

2. Qui peccat imprudens, ac proinde nec viri boni nomen meretur, quia illius officium est transgressus: nec contra improbi, quia inconsulto peccat. Sic idem Oedipus, cum parricidium summum esse crimen non ignoraret, Lajum tamen miser per ignorantiam peremit. Debet etiam summa ille dignitate præcellere: ut hac ratione major calamitas terrorem simul, & commiserationem augeat.

D. *Quare amicos inter, & consanguineos res geri debet in Tragœdia?*

M. Quia 1. si inimicus inimicum occidat, nulla excitabitur commiseratio; nisi quatenus factum ipsum communi humanitatis recordatione commovet; atque etiam facile ferent homines in alio, quod essent ipsi quoque facturi. 2. Si nec amicus, nec

nec inimicus alteri mortem inferat, sed ignotus ignoto; cum hoc agat fine affectu, nec ipse movebit affectus. 3. Si nec affinitate, aut sanguine conjunctus occidat, non adeo commovebit. Quare præstat, ut inter amicos, & cognatos res geratur; ut si frater fratrem, parens filium, filius parentem aut occidat, aut invadat. Ab amicis enim ista cum fient, movebunt commiserationem: a consanguineis, atrocia etiam videbuntur, ut cum Clytemnestram Orestes, Eriphylem tollit Alcmæon.

§. III. Quomodo concitentur Affectus in Tragœdia.

D. QUomodo concitantur Affectus in Tragœdia?

M. In hoc variant Tragœdi: (a) apud quos vel committit Actor facinus, vel non committit; iterum vel committit ignarus rei, vel conscius; item sic committit, ut factum vel post, vel ante agnoscat. Item ante agnoscit, ut animum mutet, priusquam id conficiat, aut pœnitentiam agat.

Atque ex his variis modis concitandorum affectuum ortæ sunt variæ species Tragœdiarum: quatuor celebrantur imprimis. 1. est quando agnoscitur qui occiditur, ut cum Medea liberos occidit. 2 quando agnoscitur post mortem, qui occisus est: ut cum Oedipus Lajum sua manu peremptum audit. 3 quando agnoscitur eo tantum momento, quo perire debet, & periculo eripuit; ut cum Iphigenia agnitum Orestem morti subducit. 4. quando agnoscitur, qui periturus est, & ad mortem quæritur; nihil tamen conficitur: ut cum Æmon apud Sophoclem stricto ense parentem insequitur, neque tamen quidquam agit.

D. Licetne oculis objicere atrociora spectacula, quibus sanguis effunditur, & horror animis incutitur?

M. Non licet: neque enim debent induci in theatrum aut incredibilia quædam, ut sunt metamor-

(a) *Arist. c. 1.*

tamorphoses: aut fœda aspectu, aut visu atrocia juxta illud Horatii:

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne mutetur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi:

D. Qui referri poterunt quæ oculis non licebit subjicere?

M. 1. Prænunciabuntur gerenda vel ab eo, qui facinus patraturus est, vel ab aliquo alio. 2. post quam gesta fierint, narrabuntur, quod Nunciorum munus esse solet: sic præceperat Horatius:

. . . . Non tamen intus
Digna geri, promes in Scenam, multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.

D. An non licebit aliquid ob oculos ponere, quod speciem aliquam habeat crudelitatis?

M. Licebit vincula, ipsumque demortui Principis cadaver deferre in medium, ad commovendum auditorem; item verbera, aliaque sævitiæ instrumenta licebit coram exhibere, at non percutere, aut perimere, nisi post Scenam id fieri simuletur.

CAPUT XI.

Præceptorum usus in scribenda Tragœdia.

D. T*Raditas hactenus de Tragœdia præceptiones, quæso te, ad usum ut revoces, & scribenda Tragœdia unum aliquod Paradigma proponas.*

M. Si velis ex arte Tragœdiam scribere, nudam primum ac sine ullo ornamento delineabis Actionem, quæ est materia Tragœdiæ; deinde ad Fabulam,

lam, quam voles inducere, attendes, videbisque, sitne simplex, an implexa; si implexa, an peripetiam simul, & agnitionem, & qualem utramque admittat, & cum superioribus an bene cohæreat; an terror ex rebus oriatur, ac commiseratio, aut quomodo possint aliunde commoveri; cum personas conquires, earum ipse habitus, affectusque animos indues: Episodia postmodum excogitabis. Postquam sic fuerit constituta Fabula, quid in Nexu, quid in Solutione inducere necesse sit, examinabis; nam in Nexu, non in solutione debent esse episodia, neque etiam prolixa illa, aut otiosa, sed brevia, & cum Actione primaria rite connexa. Si simplex fuerit Fabula, curabis artificiose ut desinat; sin implexa, agnitionem ut habeat, & peripetiam elegantem, & quæ tragicos affectus, seu perturbationes ipsa per se excitare possit.

D. Profer, quæso, exemplum tum simplicis, tum implexæ Fabulæ.

M. Fabulæ simplicis exemplum sit Troadum Tragœdia apud Senecam, quæ sic habet. Græci, expugnata Troja, Calchantem consulunt, quo pacto salvi domum pervenire, ac faventes sibi Deos redituri habere possint. Calchas Polyxenam, & Astyanacta necandos esse pronuntiat, atque id conficitur. Reliqua sunt episodia, apte illi Fabulæ intexta; sic Episodium est Agamemnonis cum Pyrrho colloquium, quod ex Calchantis de mactanda Polyxena consilio nascitur; item episodium est tota illa scena, in qua ab Ulysse quæritur Astyanax, ac tandem invenitur: quod pariter e consilio de præcipitando Astyanacte oritur.

Fabulæ implexæ exemplum esto Oedipi Tragœdia apud eundem Senecam. Oedipus disquirens qui sit Laji interfector, se & illius filium, & interfectorem, atque etiam Jocastæ matris suæ maritum esse agnoscit, quare effossis sibi præ pudore, & ira oculis abit in exilium, & Jocasta se gladio confodit. Hæc est Actio primaria; ad quam non spectat necessario Oedipi in Prologo de pestilentia sermo,

quam,

quamvis cum eadem apte cohæreat. Item ejusdem Oedipi cum Creonte, & Tiresia colloquium, tum prolixa illa inferorum descriptio, umbrarumque evocatio sunt Episodia, nisi forte cum nominatim de Laji cæde agitur; Oedipi autem, & Senis, & Phorbantis ex parte colloquium ad mutationem paulatim deducunt; ad Nexum tamen referri possunt; reliqua sunt in solutione, ubi est peripetia, & agnitio mirabilis.

CAPUT XII.

De Comœdia.

D. *Quomodo est Comœdia?*

M. Comœdia secundum vim vocis est paganus cantus: κώμη enim græce significat *pagum* latine, & ᾠδὴ *cantum*; sic appellata, quod in pagis habuerit originem; vel, ut alii volunt, a Como hilaritatis, ac temulentiæ Deo dicta est Comœdia, quasi κωμῳδεῖν sit, *canere Como digna*.

D. *Quomodo definitur Comœdia?*

M. Definitur *Imitatio Dramatica Actionis unius, totius, civilis, aut privatæ, & vulgaris, stylo populari exhibita, & læto semper exitu terminata, ad proponendum vitæ privatæ exemplum.* Atque hæc definitio, Comœdiæ materiam, formam, & finem attingit; de quibus breviter admodum agendum est: cum satis ea sint exposita in Materia, Forma, & Fine poematis dramatici, universe spectati, & alibi passim pluribus in locis.

D. *Quid habes circa materiam Comœdiæ?*

M. Est actio, cujus jam recensitæ sunt in definitione, & superius explicatæ in materia dramatis variæ affectiones. Veritatem, vel falsitatem admittit illa, quia privati hominis est actio, obscura per se, & ignota; neque imitatur res illustres, & terribiles, aut admirabiles, sed civiles, & privatas; ut avaritiam senum, fraudes servorum,

rum, & similes: quæ alios sollicitudine, lætitia alios impleant: quare debet esse insuper jocularis ut delectet, & ea vitia exagitare, quæ risum potius, quam misericordiam moveant.

D. Quid præcipis circa Formam Comœdiæ?

M. Præter ea, quæ dicta sunt in Forma poematis dramatici, curandum est, ut intexantur, 1. quædam peripetiæ, non quæ magnos, ac vehementes, sed remissiores, lenioresque cieant animorum motus. 2. Agnitiones, non eæ, unde oriantur maximæ perturbationes, sed quæ levioribus de caussis ortæ, non admodum moveant: ut in Plautinis Comœdiis, quæ fit e crepundiis, nonnunquam cistulis, aut annulis. Agnitio. 3. Episodia brevia, & apta. 4. Mores solutiores, & jocis, salibusque conditi: in quibus magno opus est delectu: videndumque, ne sint frigidi, multo minus obscœni: quod jure in Plauto reprehendit Horatius:

At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales, nimium patienter utrumque
Ne dicam stulte mirati; si modo ego, & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

5. Sententiæ rariores: ac vix aliæ, quam pertinentes ad vitam quotidianam, & in frequentiori usu positæ, ut sunt trita, ac vulgaria proverbia. 6. Dictio apta rebus, adeoque non grandis, ut in Tragœdia: sed contra humilis, suavis, & mediocri ornatu contenta: quamvis possit aliquando altius assurgere, cum graviores affectus sunt exprimendi, ut ait Horatius:

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit;
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Adeoque metrum optimum erit, quod proxime accedit ad solutam orationem.

D. Quid statuis circa Finem Comœdiæ?

M. Vult Philosophus, Comœdiæ esse, ex inimicis amicos efficere; quod universe dictum esse oportet, ut cum pater filio reconciliatur, aut cum fraude aliqua, vel casu ex ipsa Actionis natura

exorto

exorto a se invicem disjuncti duo homines mutuo in gratiam redeunt. Sed istud est officium Comœdiæ potius, quam Finis: qui in eo positus est, ut vitæ privatæ exemplum proponatur, ut inde mores quisque suos corrigat.

Ex dictis colliges, a Tragœdia potissimum differre Comœdiam, 1. Materia; Tragœdia res grandiores, Comœdia tractat humiliores. 2. Personis; in Tragœdia nobiles sunt, in Comœdia humiles, & obscuræ. 3. Dictione; grandior est in Tragœdia, vulgaris in Comœdia. 4. Exitu; funestus esse solet in Tragœdia, in Comœdia felix est atque hilaris.

D. Quid si personæ illustres inducantur in Scenam, quæ Fabulam Comicam peragant?

M. Non erit hæc Tragœdia, aut Comœdia, sed tertium Dramatis genus ortum ex utraque, quod appellabitur Tragicomœdia, cujus finis est semper lætus; personæ partim illustres, partim vulgares; res modo ludicræ, modo tristes. Amphitruonem vocat Tragicocomœdiam Plautus, ubi sic loquitur in Prologo Mercurius:

Faciam ut commixta sit Tragicocomœdia.
Nam me perpetuo facere, ut sit Comœdia,
Reges quo veniant, & Dii, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic servus quoque partes habet,
Faciam proinde, ut dixi, Tragicomœdiam.

INSTITUTIONUM POETICARUM LIBER IV.

De Reliquis Poematis.

M. Ost Epicam, & Dramaticam poesin celebrantur multa minora poemata; quorum alia sic a se invicem differunt, ut singula singulas, easque maxime diversas constituant species, ut Elegia, Epigramma, Satyra, Ode, &c. alia vero cum sint ut plurimum in genere heroico, majorem habent inter se conjunctionem, ac velut affinitatem, quamquam ad Oden quoque referri possunt, cum commode canantur ad lyram; sunt hæc, Epithalamia, Genethliaca, Epicedia, Epinicia, Soterica, Propemptica, Parænitica, &c. de quibus omnibus breviter modo, pro dicendi instituto disputabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Elegia.

D. Quid est Elegia?

M. Elegia proprie est *funebris cantus*, a flebili lugentium sono sic dicta, qui crebro, ἒ ἒ λέγουσιν *he! he! ingeminant.*

D. Quæ est materia Elegiæ?

M. Est proprie res funebris, & tristis; unde Ovidius in mortem Tibulli canit:

Flebilis indignos Elegeia solve capillos:
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Et 5. Tristium:

Fle-

Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen.

Factum est tamen deinde, ut non tantum res funebres, ac tristes, sed res quoque lætæ, amores, vota, preces, gratulationes, & convicia elegiaco carmine scriberentur, ut videre est apud ipsum Ovidium. De materia primisque Elegiæ Authoribus sic statuit Horatius:

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos Elegos emiserit Author,
Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

D. Quæ est Forma Elegiæ?

M. Forma Elegiæ, est ipsius constitutio, & compositio, seu quædam eorum, quæ canuntur elegiace, dispositio; de qua sic præcipi potest, ut poema illud tersum sit, lene, perspicuum, dictio mollis, & æquabilis, morata, tenera, affectibus plena, & delicata quadam suavitate condita. Quamquam pro ratione rerum, quæ celebrantur, magnifice etiam procedat Elegia: ut quæ apud Propertium scripta est in Actiacam victoriam, & alibi passim apud Authores probatissimos.

CAPUT II.

De Epigrammate.

D. **Q**Uid est Epigramma?

M. Si vocis etymon attendas, est inscriptio quævis: ἐπιγράφειν enim græce est *inscribere* latine. Si definitionem quæras, dicitur breve poema cum simplici cujuspiam rei, vel personæ, vel facti indicatione, aut aliquid ex propositis deducens.

D. Quotuplicis generis est Epigramma?

M. Duplicis; ut indicat definitio; aliud enim simplex est, quod simplici rei, personæ, aut facti indicatione continetur, ut sunt inscriptiones denariorum, & statuarum, ut ista clypei:

Æneas hæc de Danais victoribus arma:

Alterum compositum dicitur, quod in ratione dicenda, colligendaque, & quasi in argumentatione positum est.

D. Quæ est materia Epigrammatis?

M. Sunt res universæ, personæ, facta; quæ exornari, reprehendi, fieri, probarive possunt.

D. Quæ est ejus Forma?

M. Est ipsa ratio tractandi Epigrammatis; quod solet scribi carmine vel hexametro, vel elegiaco, vel phaleucio, vel jambico.

D. Quis est Finis?

M. Est communis omni poesi, delectare docendo, seu laudet, seu vituperet Poeta, qui ab hoc fine non debet recedere.

D Quot sunt Epigrammatis dotes?

M. Tres numerantur præcipuæ, Brevitas; Perspicuitas, & Acumen.

CAPUT III.

De Satyra.

D. *Quid est Satyra?*

M. Satyra videtur nomen ducere a Satyris, Diis petulcis, lascivis, & dicacibus, qui inter Actus Tragœdiarum, ac postea Comœdiarum inducti in theatrum, non tantum sermone parum verecundo, libero, aculeato, vultu, ac corpore risum movebant; verum etiam cives improbos nominatim carpebant, unde Satyra ab aliquibus ad poema dramaticum revocatur. Videtur etiam dicta Satyra, quasi Satura: quod varium complectatur argumenti genus. Quare definitur Satyra *Poema jocosum, liberum, & aculeatum, ad reprehendendos, corrigendosque mores corruptos.*

D. Quæ est materia Satyræ?

M. Dici potest turpitudo risu digna, vel odio; exagitant enim Satyrici Poetæ, Inertes, Parasitos,

tos, Deformes, Loquaces, Ingratos, Ambitiosos, Prodigos, Avaros, &c. Materiam Satyræ his duobus versibus definivit Juvenalis:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri farrago libelli.

D. Quæ est Forma Satyræ?

M. Est ipsius constitutio, & compositio, in qua illinendæ sunt quibusdam suavitatibus objurgationes, ut æquiore animo excipiantur; adeoque versutum, sagax, callidum, disertum, acutum ingenium requiritur. Amat Satyra crebras sententias, acutas, & acres, puritatem, & elegantiam in verbis, remissos, molliorésque numeros, dictionem submissam, quotidianæ locutioni similem: unde Horatius, qui in Odis usque adeo numero studuit, ut idcirco numerosus vocetur ab Ovidio; idem tamen in Satyris numerum illum neglexit, non quia aliter non posset, sed quia hunc neglectum Satyris putaret convenire. Nullæ certæ partes in hoc poemate assignantur; aliquando insinuatio, sæpius abruptum, & incitatum principium adhibetur.

D. Quis est Finis Satyræ?

M. Est objurgando, & irridendo absterrere homines a vitiis, & ad virtutem incitare. Videndum tamen, ut joci, ac sales satyrici careant obscœnitate: ne, dum animos vult purgare Poeta, ad morum turpitudinem invitet.

CAPUT IV.

De Poemate Lyrico.

D. *Quid est Poema Lyricum?*

M. Dictum est Poema Lyricum a Lyra; quæ inter organa musica celebris est, adhibeturque ad hujusmodi carmen concinendum. Quare vocatur etiam illud poema Ode, & Melos, id est cantus, unde Poetæ Lyrici, & Melici.

D. Quæ est materia poematis Lyrici?

M. Longe, lateque patet hæc materia: continet enim laudes Deorum, & hominum, vota, preces, exhortationes ad virtutem capessendam, ad vitia fugienda, deplorationes calamitatum, desideria, conquestiones, fontium, montium, villarum aliorumque locorum amœniorum laudes, & descriptiones; deliberationes item, & invitationes, aliaque innumera, quæ brevi poemate concludi possunt, comprehendit. Nam, ut docet Horatius:

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

D. Quæ est forma poematis Lyrici?

M. Est ipsa compositio, seu ratio scribendi illius poematis: ubi notandum est, quod est Epopœjæ gravitas, Tragœdiæ vehementior affectus, Comœdiæ jocus, Elegiæ mollities, Satyræ acerbitas, Epigrammati acumen, idem esse poemati Lyrico suavitatem. Quare debent adhiberi verba florida, polita, non sine majestate induci sententiæ, vitari litterarum collisiones duriores, aliaque observari, quæ diximus facere ad suavitatem Narrationis Epicæ, & ad dotes dictionis poeticæ.

D. Quot sunt Versuum genera in Odis?

M. Sunt sane quamplurima: quæ suas ducunt appellationes vel ab Authoribus, ut Alcaici ab Alcæo, Sapphici a Sappho, Asclepiadei ab Asclepiade, &c. vel a metris, quibus constant, ut Trochaici a Trochæo, Dactylici a Dactylo, Anapæstici ab Anapæsto, &c. sed illorum metrorum leges a Grammaticis petendæ sunt.

D. Quid est Strophe, Antistrophe, & Epodus?

M. Ode dividebatur in Strophen, Antistrophen, & Epodum. Strophe erat pars illa Odæ, quam Chorus in lustranda ara in Deorum laudem modulabatur, progrediendo ab oriente in occidentem. Antistrophe vocabatur, cum Chorus re-

revertebatur canendo ab occidente in orientem: Epodus fiebat, cum in medio consistebat Chorus, & quod supererat carminis, persolvebat. Verum jam nomine Epodi intelligitur illud genus carminis, in quo singulis versibus singulæ clausulæ subjiciuntur, & veluti accinuntur, idque fere alio genere carminis, & plerumque breviori: cujusmodi sunt pleraque apud Horatium in libro Epodon, jambico dimetro post heroicum, aut trimetrum jambicum statim succedente.

D. *Quid est Ode distrophos, tristrophos, & tetrastrophos?*

M. Ode dicitur distrophos, quæ plures habet strophas, seu clausulas: quarum singulæ continent duo carmina: quæ clausulæ strophæ dicuntur, quod post duos versus ad duos alios reverti oporteat, ut in hac Oda Horatii; v. g.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera.

Post hæc duo carmina, eodem modo duo alia succedunt:

Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Japyga;

& sic deinceps ad finem Odæ. Ita dicitur illa Ode tristrophos, quæ continet plures strophas, sive conversiones, quarum singulæ habent tria carmina; & tetrastrophos, cujus singulæ strophæ quatuor includunt versus.

D. *Quid est Ode monocolos, dicolos, & tricolos?*

M. Ode dicitur monocolos, seu uniformis; quæ unius ejusdemque generis habet carmina: talis est prima Ode Horatii:

Mæcenas atavis edite Regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum, &c.

cujus omnia carmina sunt asclepiadica. Dicitur Dicolos, quæ habet strophas, quarum carmina sunt duplici generis, tricolos, cujus strophæ continent carmina triplicis generis.

CAPUT V.

De Hymno, Parodia, & Carmine Intercalari.

D. Quid est Hymnus?

M. Est Ode ad Dei laudes, virorumque illustrium celebrandas instituta; ὑμνεῖν enim græce est *celebrare* latine.

D. *Quid est Parodia?*

M. Est imitatio versuum, ubi sententia tamen ad contrarium sensum detorquetur. Istud genus carminis frequentavit imprimis Joannes Baptista Masculus, profanos sensus ad religiosa fere argumenta convertens. Sarbievius item Odas Horatii aliquot improbas ad pietatem traduxit per parodiam.

D. *Quid est Carmen Intercalare?*

M. Intercalare carmen, quod & Regium dicitur, est illud, in quo post aliquod versuum intervallum, idem semper recurrit, ut apud Virgilium in Eclogis ille versus sæpius usurpatur:

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus;

& ille deinde:

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

CAPUT VI.

De Eclogis, Silvis, & Diris.

D. Quid est Ecloga?

M. Ecloga, quæ & Bucolicum Carmen a Bubulco, & Pastoricium a Pastore dicitur, est imitatio rusticarum actionum stylo mediocri, & suavi, vel per meram enunciationem, vel per dramaticam personarum effictionem. Eclogæ vocantur a dele-

ctu,

ctu, & concinnitate sermonis; ἐκλέγειν enim græce est *seligere* latine. Cum autem Bucolicum Carmen initio inconditum esset, ut plurimum puriora quædam, elegantioraque seligebantur: unde huic generi carminum indita est appellatio.

D. Quæ sunt leges hujus Poematis?

M. Tractantur in eo vota, gratulationes, altercationes, pollicitationes, conquestiones, gaudia: sed videndum, ut omnia agrum redoleant. Dicendi character debet esse humilis, frequentes adhibendæ comparationes ex agris deductæ, jucundæ item descriptiones inserendæ. Hexametrum carmen adhibendum, modò ne adsit granditas, neve longiore ambitu circumducatur. Ducem habes in hoc genere poeseos, ut in heroico, Virgilium, qui quanto sublimior videtur in Æneide, tanto se submissius de industria deprimit in Bucolicis.

D. Quid vocas Silvas?

M. Sunt Carmina subito calore effusa, neque anxia cura castigata. Silvæ dicuntur, quod oblatam quasi temere materiem ex tempore, & stylo veloci percurrat, & tractet Poeta, dum calor menti insidet. Statius certe initio suarum silvarum libellos, qui subito calore, & quadam festinandi voluptate sibi fluxerunt, silvas vocat, additque illa poemata solum habere gratiam celeritatis.

D. Quid intelligis per Diras?

M. Diræ sunt quodnam Carminis genus, quo quidquid furoris, imprecationum, querelarum, conviciorum in mentem venit, effundit Poeta. Sic Dido Æneam apud Virgilium, Medea Jasonem apud Senecam diris prosequuntur.

Expeditis, de quibus libri hujus initio, variis carminum generibus, illud unum superest, ut de Poematibus, quæ ad heroicam poesin commode revocantur, quamvis ad lyram quoque venuste cani possint, breviter disseramus: sunt hæc Epithalamia, Genethliaca, Epicedia, &c.

CAPUT VII.

De Epithalamio, Genethliaco, Epicedio.

D. QUid est Epithalamium?

M. Est Poema pro nuptiali pompa conscriptum, sic dictum a vocibus Græcis ἐπὶ *ad*, & θάλαμος, nuptiale cubiculum.

D. Quomodo conficiendum est illud poema?

M. Laudes conjugum celebrandæ, faustum augurium capiendum, fructus illarum nuptiarum prædicandus, vota concipienda pro connubii felicitate, & futura prole. Consule poetas, qui scripsere Epithalamia, Catullum, Statium, Claudianum, &c.

D. Quid est Genethliacum?

M. Est Carmen, quod nascentibus accinitur, γενέθλη, enim græce est *nativitas* latine, unde Genethliacon natale carmen.

D. Quomodo scribendum est hujusmodi Carmen?

M. Parentum virtutes celebrantur, spes de puero excitantur, variæ loci, ac temporis notantur circumstantiæ.

D. Quid est Epicedium?

M. Est Carmen funebre, quod Nænia Romanis, Græcis Epicedium dicitur ab ἐπὶ & κῆδος, *cura*, quæ mortuis præcipue debet impendi.

D. Quæ sunt lege Epicedii?

M. Narrantur demortui laudes, pompa funebris describitur, conditur Epitaphium, Poeta denique apprecatur æternitatem.

CAPUT VIII.

De Epinicio, Eucharistico, Propemptico.

D. QUid *est Epinicion?*

M. Est Carmen pro reportata victoria conscriptum, sic dictum ab ἐπὶ & νίκη, *victoria*. A variis circumstantiis loci, temporis, hostium multitudinis &c. celebranda est victoria; observanda tradita posteris imperatoriæ prudentiæ, & fortitudinis monumenta; exponendum qui fructus ex victoria consequantur, vota precesque pro patriæ, Victorisque incolumitate fundendæ. Habes passim apud Authores exempla, quæ in hoc genere Carminis imiteris.

D. *Qui est Eucharisticum.*

M. Est poema, quo gratias alicui agimus ob præstitum beneficium, sic dictum ab εὐχαριστεῖν, *gratias agere*: debet eo in carmine prædicari acceptum beneficium, dantis humanitas, & beneficentia extolli, accipientis necessitas non debet omitti, item miscenda vota in gratiam dantis.

Hujus Carminis passim exempla suppetunt apud Authores.

D. *Quid est Propempticum Carmen?*

M. Propempticum a προπέμπω, *deduco*, est Carmen in gratiam aliquo abeuntium scriptum: in quo vota concipiuntur eorum caussa, vel ad avertendum malum aliquod, vel ad bonum aliquod, ac præcipue fortunatum iter apprecandum. Talis est Ode Horatii (a) in gratiam Virgilii Athenas navigaturi, quæ sic habet:

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Japyga;

(a) Lib. 1. Od. 3.

Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.

Egregia habet Vallius (a) hujus generis poemata, quibus Amicos, atque unum imprimis sub Amyntæ persona in Indiam proficiscentem prosequitur, quæ tu consule.

CAPUT IX.

De Carmine Soterico, Protreptico, & Parænetico.

D. Quid est Sotericum Carmen?

M. Est carmen pro salute recepta, & vitato gravi aliquo periculo; dicitur Sotericum, quod σωτηρία græce salutem sonet latine; in eo debet expendi periculi magnitudo, in eo subeundo fortitudo, in vitando solertia, vel felicitas, bona ex vitato exorta celebrari. Habes absolutissima hujus Carminis exempla apud Frizonium in quatuor Odis, quæ ad Franciam, ad Christianissimum Regem, Augustissimam Reginam Matrem, post recuperatam Regis sanitatem inscripsit, quarum prima sic incipit:

Paane ovantes junge lyra modos,
Et Martiales, Francia, laureas:
Defuncta fatali periclo,
Magnifici rex surge voti, &c.

D. *Quid est Carmen Protrepticum?*

M. Idem est atque Adhortatorium Carmen a verbo τροτρέπω *adhortor*, cum scilicet alios ad aliquid suscipiendum impellimus. Nihil est usitatius ejusmodi Carmine apud Poetas. Formam habet illius exquisitam Frizonius in Sacra Expeditione ad Principes Christianos:

Sur-

(a) *Her. lib. 3.*

Surgite magnanimi Proceres, quos æthere ab alto
Increpuere sacrum spirantia classica Martem, &c.

Quæ Carmina, si qua alia, vim habent ad promovendos animos, ducitur enim adhortatio ab Ottomanici hostis ferocitate, & successu funeste felici, ab amplitudine regionum ab eo devastatarum, ab Solymææ urbis sanctitate, ab eo tam fœda servitute oppressæ: a futuræ victoriæ certis conjecturis, &c.

D. *Quid est Carmen Paræneticum?*

M. Est Monitorium Carmen, a παραινέω, *admoneo*, sic dictum, in quo præcepta sapientiæ continentur. Sic Poeta pro suo officio alios monet, v. gr. ne se periculis temere objiciant, ne majora viribus suscipiant, ne quid aliud aggrediantur, cujus ipsos postea pœnitere possit. Habes ejusmodi Carmina passim apud Poetas tum veteres, tum recentiores, ac proinde nihil est opus, festinanti præsertim, exempla proferre.



INSTI-

INSTITUTIONUM POETICARUM LIBER V.

Exempla varia, & Observationes ad Artem Poeticam spectantes complectens.

CAPUT PRIMUM.

Poetarum Latinorum Præstantiorum nomina, ætas, stylus.



UM Poesis lectione summorum poetarum & imitatione potissimum comparetur, juvat cognoscere, quinam poetæ frequentius & accuratius legendi, quinam obiter & strictim volvendi, aut etiam omnino prætereundi sint. Id ex Indice, quam subjicio, patebit.

MARCUS ACCIUS PLAUTUS, natione Umber, patria Sarsinas, obiit anno Urbis conditæ quingentesimo septuagesimo, qui fuit mundi termillesimus octingentesimus septuagesimus. Non temere legendus est, propter nequitias, & impuros amores, atque adeo propter sales invenustos, quibus scatent ejus Comœdiæ.

P. TERENTIUS, author est Latinitatis tersissimæ: non legatur tamen, nisi repurgatus. Oratus est Carthagine, in Africa, anno U. C. 560. In pingendis hominum moribus, & arte coagmentandæ fabulæ, ceteros vincit Comicos.

TITUS

TITUS LUCRETIUS CARUS insignis est ob Latinum sermonem, & sententiarum gravitatem: versus habet paulo horridiores, interdum obscœnos, & impios. Scripsit Physica. Romæ natus est, anno ejusdem Urbis 658.

CAJUS VALERIUS CATULLUS, Veronensis, novem post Lucretium annis ortus, scripsit Odas, Elegias, Epigrammata, &c. Sermo bene Latinus est; versus aliquando duriores, sæpe obscœni.

P. VIRGILIUM annus U. C. 684. edidit, futurum olim principem Latinæ poeseos; patria tanti viri, Andes vicus prope Mantuam.

Q. HORATIUS FLACCUS quinque post Virgilium annis editus Venusii, in Apulia; omnia ingeniose, splendide, luculenter scripsit, non pauca tamen habet lutulenta, & inquinandis moribus, nisi delectus habeatur, opportuna.

ALBIUS TIBULLUS, & SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS, nati sunt circa annum U. C. 710. hic in Umbria, ille Romæ, uterque poeta melior quam castior, atque idcirco ablegandus a puerorum Scholis, nisi qui forte locus bene repurgatus excerpatur.

P. OVIDIUS NASO patriam habuit Sulmonem, urbem Pelignorum in Italia anno U. C. 711. amœnus vates, copiosus, ingeniosus, & illaborata facilitate gratus, utinam æque castus & modestus: quamobrem periculose legitur non solum in iis libris, ubi nequitiem aperte profitetur, sed in Metamorphosibus, epistolis, &c. Tristia & libri de Ponto minus habent periculi.

MANILIUS, incertum quo anno natus, recte in extrema Augusti tempora rejicitur, cui suum opus videtur dedicare. Scripsit Astronomica, versatus satis concinne, ac faciliter in argumento per se horrido, & intentato.

PHÆDRUS, origine THRAX, libertus Augusti, floruit sub Tiberio. Lucet in eo nativus quidam latini sermonis lepos, aureo Augusti sæculo dignis-

dignissimus. Vide quæ de illo & aliis nonnullis Poetis scripsit P. Franc. Vavassori Soc. Jesu, in suo de Ludrica dictione libro. Multa quoque de Poetis disserit erudite Possevinus noster in suæ Bibliothecæ parte 2. lib 7. Addi solent ad Phædri calcem Avieni fabulæ. Is Theodosio Seniore imperante vixit, hoc est, annis post Phædrum circiter 350. Ejus latinitas immane quantum a Phædri nitore discrepat.

SENECA, patria Cordubensis, Lucii Annæi Senecæ Philosophi, ut multis placet, filius, vixit Neronis ævo. Artem tragicam ignorat. Ampullata sunt ejus Carmina, plerumque tamen plena spiritus & ardoris; latinitas non ignobilis: in sententiis & orationibus, quas actoribus suis & heroibus affingit, modum vix tenet; multo præstantior futurus, si temperate ingenio suo, quam indulgere maluisset.

MARCUS ANNÆUS LUCANUS, Senecæ Philosophi fratris filius, patria item Cordubensis, Historiam civilis belli Cæsarem inter & Pompejum versu scripsit, elato, & sæpe turgido, nonnumquam acri & ingenioso. Cur illi poetæ nomen abrogent eruditi, & oratoribus, vel historicis annumerandum censeant, intelligitur ex iis, quæ de poesi diximus. Non enim poematis sui materiam quasi facit, & rerum variarum inventione, ac mutatione illustrat, sed acceptam ab Historia ornate prosequitur. Multos fallit ambitiosus ille sententiarum tumor, & argutiarum fucus, ad pompam potius & fastum, quam ad veritatem comparatus.

PETRONIUS ARBITER, civis Romanus prædives, Neronis familiaris, ejus flagitia descripsit, versibus impurissimis & argumento convenientibus, uterque dignus oblivione, & execratione.

A. PERSIUS FLACCUS, Volaterranus, eodem Neronis tempore Satyras scripsit, sed multo conditas sale: tuto legi, pauca si demas, possunt.

SI-

SILIUS ITALICUS, ab Italica, Bæticæ Hispaniæ urbe, sic appellatus, ultimo Neronis anno consulatum gessit, iterumque sub Domitiano Poema composuit de secundo Bello Punico. Virgilium, cujus cultor insignis erat, imitari studuit ac sequi; multum abest, quin assequatur.

P. PAPINIUS STATIUS, Neapoli, ut verius creditur, oriundus, sub Nerone & Domitiano scripsit Silvas, Thebaidem, & Achilleidem; stylo sæpe confragoso, & obscuro. Ejus Silvæ sunt ameniores, & cultiores.

C. VALERIUS FLACCUS, Setinus, edidit libros octo Argonauticon, quos Vespasiano dedicavit. Statio purior & melior est.

MARCUS VALERIUS MARTIALIS, Bilbilitanus, Romæ annis quinque, & triginta vixit, usque ad Trajani tempora, cum in Hispaniam suam rediit: mores & ingenium perpolire potest ejus lectio, si obscœna deleas epigrammata.

DECIUS JUNIUS JUVENALIS, Aquinas, poeta doctus, & eloquens, majestatem, & aculeos, interdum declamatorios, habet: minus Horatio politus ac pressus, Persio uberior est. Cave illum, nisi expurgatum legas.

CLAUDIANUS fuisse Alexandrinus fertur, sub Theodosio magno, ejusque liberis claruit, a quibus ei statua in Romano Foro posita. Poeticos spiritus ingentes & meliore sæculo dignos habet, ac, si tumoris nonnihil detrahas, vix ulli poetarum latinorum, præsertim in iis, quæ postremo loco scripsit, secundus est.

AURELIUS PRUDENTIUS, sub eodem Theodosio, in rebus Christianam fere pietatem & religionem spectantibus operam posuit, barbaro sæpe, licet ingenioso & erudito carmine.

Quintiliani judicium de Poetis Latinis habes libro ejus institutionum X.

CA-

CAPUT II.

De Stylo Poetico.

STylus vocatur propria quædam dicendi, seu scribendi forma. Sunt enim qui breviter & strictim loquuntur & scribunt; sunt qui fundunt latius orationem solutam perinde, ac vinctam: alii magnifice & splendide, alii nitide ac parce amant scribere. In quo suam quisque indolem fere sequitur. Hinc styli tanta varietas, præsertim in poetis, qui genio pluscul̄um indulgere solent. Oritur etiam illa e variis carminum generibus. Alius enim stylus convenit Epopœjæ, & versui Heroico: alius Tragico, & Comico, alius Lyrico: suus est Epigrammati, suus Elegiæ, suus Dithyrambo, &c. Quis autem singulorum istorum sit proprius, aliunde cognosci melius nequit, quam poetis ipsis legendis. Caput est legere optimos in unoquoque genere: exempli caussa Virgilium in Heroico poemate, quem recentiores quidam egregie sunt imitati, ut Sannazarius, Bembus, Heinsius, & alii, quorum carmina extant collecta in libello, cujus titulus est, *Deliciæ Heroicæ Poeseos*, item Jacobus Vallius, Carolus Ruæus; & in Elegiaco, Ovidius, Sidronius Hoschius; & in Comico Terentius, in Tragico, Seneca, Petavius, Malapertinus, &c. In Lyrico Horatius, Sarbievius, Jonius, &c. In Epigrammate, Martialis, in Sylvis Statius, &c. Consule Quintilianum libro præsertim 12. c. 10. ubi de stylo, ejusque diversis formis agit: & P. Nicolaum Caussinum in suis divinæ & humanæ eloquentiæ Parallelis Lib. XI. sed præcepta haud multum juvant. Optimum stylum consequeris, si multum & attente legeris & diligenter scripseris.

C A-

CAPUT III.

De Variis Versuum generibus.

PRæter usitatos versus, Hexametrum, Pentametrum, & Jambicum, qui nihil, aut parum difficultatis habent, alii quidam sunt reconditiores, partim a Comicis, partim a Lyricis vatibus usurpati: de utrisque pauca observabimus.

§. I. De Versibus Comicis.

CUm poesis ad delectationem maxime comparata sit, uti versibus debet, quæ est oratio omnium suavissima. Tragici utuntur Jambicis perfectis, iis nempe, qui in pedibus paribus Jambos habent, nempe in 2. 4. & 6. in imparibus vero spondæos, vel Anapæstos, Dactylos, aut Jambos, quia omnes isti pedes plus habent gravitatis & dignitatis. Comici utuntur Jambicis imperfectis, idque satis habent, si in fine sit pes Jambus; in aliis locis adhibent promiscue Jambos, Spondæos, Dactylos, Tribrachos, Anapæstos, qui locum habent in Jambicis perfectis. Præterea utuntur Amphimacro, seu Cretico, qui constat duabus extremis syllabis longis & media brevi, ut *Pamphilum*, *ambiunt*. Interdum Proceleusmatico, sive duobus Pyrrichiis, hoc est quatuor brevibus, quia quatuor breves respondent duabus longis, e quibus constat Spondæus, cui locus est in Jambico versu. Exemplum Proceleusmatici habes in Andria A. I. Sc. I. sub finem.

Mala mens-malus ani-mus quem-quidem ego si sen-sero.

in hac enim scena sunt omnes Senarii, sive Trimetri. Itaque in secundo pede est Proceleusmaticus.

Item

Item in eadem Andria Act. 3. Sc. 3. in primo pede:

Tibi generum firmum, & filia invenies virum:

Utuntur etiam Comici versibus Jambicis dimetris, id est, qui quatuor tantum pedes habeant, nam antiqui vocabant duos pedes, unam mensuram: interdum Tetrametris, id est, qui habeant quatuor mensuras, sive qui constent octo pedibus; unde octonarii, & quadrati appellantur.

Interdum totis quatuor, aut sex, aut octo pedibus non constat illorum versus, sed deest aliquando una syllaba in principio, aut in fine; & ii versus vocantur Catalecti, sive desinentes, penduli & semimutili: ut *Musa Jovem-cane-bant*, est dimeter catalectus, deest enim ultima syllaba: item, *Non-ebur neque au-reum*, deest enim prima syllaba. Observandum hic tantum est, eum pedem, qui proximus est syllabæ relictæ, & pendenti, Jambum esse oportere.

Aliquando deest unus pes, iique versus vocantur Brachycatalecti, sive mutili, ut

Musa-Jovis-nata,

est dimeter Brachycatalectus; deest quippe pes quartus. Hoc idem in Tetrametris contingit: v. gr. in illo;

Vos precor-vulgus silen-tum vos-que fe-ra-le s-Deos:

deest prima syllaba. Quod si metiaris aliter, & velis deesse syllabam in fine potius quam in principio, facies Trochaicum versum, qui nempe Trochæum pedem pro Jambo, iisdem locis atque Jambicus, ponit:

Vos pre cor vul-gus si-lentum- vosque- ferales Deos.

Sic in Adelphis, act. 3. Sc. 2.

Cate-ros rue-rem, agerem,-raperem,-tunderem &-proster-ne-rem.

Di:

Dividi etiam aliter potest prior versus, si ponatur amphimacer in principio:

Vos precor-vulgus-silen-tum, &c.

Et tunc deerit ultimus pes, eritque Tetrameter Brachycatalectus. Quemadmodum illi versus Andriæ, Act. 4. Sc. 1. qui Muretum, Scaligerum, Erasmum, & cæteram eruditorum familiam adeo torserunt, dici commode possunt Trimetri Brachycatalecti. Sic eos metire:

Hoccine credibi-le est aut-memora-bile.
Tanta ve-cordia in-nata cui-quam ut, -siet:

Facessant enim ii, qui ut suum quemdam, quem sibi fingunt ipsi, numerum inveniant, tollunt, mutant, vellicant miseros versus, irato Terentio, & veteribus libris reclamantibus.

In quibusdam sive Dimetris, sive Tetrametris abundat syllaba una, vel pes unus, vocanturque Hypercatalecti, sive Hypermetri, qui nempe habent aliquid super communem mensuram. Ita longior est iste una syllaba:

Musa-soro-res sunt Miner-va.

Ad inveniendum quoque numerum Comicorum versuum, juvabit observare quæ sequuntur.

1. Sæpissime litteram S, elidi, ita ut legendum sit magi, pro magis; sati, pro satis, &c. Sexcenta sunt exempla, immo interdum ex trito S, vocalis præcedens eliditur. Sic in Andria: —

Bo-num in-genium-narras-adole-scentis, optimum.

ita ut *scentis op*, Spondæus sit *scent' op*; nisi malis Amphimacrum ponere. In eadem Andria:

Semper enim dicta est ejus atque habita est soror.

Quo in versu voces, *est ej' at*, sunt tres longæ; Item;

Sed

Sed quid opus est verbis?
Sed quid op' est verbis?

2. Voces quasdam dissyllabas in unam syllabam concrescere, v. gr. *fuit, fiet, puer, rei, eho, meus, tuus, suus, suo, deus, &c.* Sic metire versum Andriæ, Scena I. Act. I.

Liberi-us vi-vendi, fuit-potes-tas, nam an-tea.

Nonnulli volunt esse Amphimacrum in voce, *liberius*, in quo duæ mediæ syllabæ coeant in unam, quasi si esset Librius: alii Dactylum, si expungatur S, *Libriu*. Sic illum ejusdem Comœdiæ, qui est in Act. 4. Sc. 1.

ut malis gaudeat a-lienis, atque ex-incom-modis.

in *gaudeat*, duæ ultimæ syllabæ in unam brevem coalescunt, quasi *gaudat* legeretur; in *alienis* duæ mediæ concrescunt in unam longam. Sic verba *quiesci, melius, potius*, pro dissyllabis ponuntur; *grandiuscula* pro trisyllabo: ita Virgilius vocem *stellio* dissyllabam posuit. Horatius *pituita* trysillabam. Contra vero voces quædam monosyllabæ in duas syllabas porriguntur: ut *jam* quasi esset *i-am*.

3. Sæpe vocales non elidi, cum in sequenti voce occurrunt aliis, neque litteram M.

4. Voces *illum, illam, eccum, eccam*, &c. aliquando primam habere brevem, quia olim unica littera L, & C, scribebantur, *i-lum, e-cum*.

5. M & R in media dictione interdum elidi. Sic in Andria, Act. 1. Sc. 3.

Enim vero, Dave, nihil loci est segnitiæ, &c.
Primus pes anapæstus est. Littera vero M in fine interdum eliditur ante consonantem. In Andria, Act. 3. Sc. 2.

Certe enim scio non-satis me-pernosti, &c. ubi primus pes dactylus, Cert' eni.

9. Vocales quasdam corripi, quæ non eliduntur, v. gr. in Andria, Act. 4. S. 4.

Reli-

Reliquit me homo-atqu' ab-it.

ubi *me* breve est, quia non eliditur more Græco. Et Sc. 6.

Qua se in-hones-te apta-vit, &c.

voces illæ, *quæ se in.....* Dactylum efficiunt. Nonnulli ut hiatum hunc effugiant, addi volunt, Plautino more, litteram D. *Reliquit med homo.*

7. Nota, *eho*, *hem*, & alias quasdam id genus interjectiones, extra metrum aliquando censendas, neque, cum metiri voles versum, annumerandas aliis vocibus.

§. II. De versibus Lyricis.

Lyricorum vatum poemata vocantur Odæ; quæ vox Græca significat cantilenam, quia Odæ ad Lyram, sive citharam vulgo canebantur. Odæ istæ proprium quoddam carminis genus habent, immo constant aliquando e tribus plane diversis. Ab inventoribus vulgo nomen sortiuntur. Sic Ode Alcaica dicitur, cujus auctor Alcæus, Poeta Græcus; Sapphica, quam invenit Sappho: & singula Odarum, & versuum, e quibus componuntur, genera breviter percurro.

Primum genus Odarum est earum, in quibus sunt omnes versus Choriambici Asclepiadei Tetrametri: qualis est apud Horatium Od. Lib. 1. *Mæcenas atavis*, *&c.* Vocantur Choriambici, quia in illis præcipuum locum obtinet pes Choriambus, qui componitur ex Choræo, sive Trochæo, & Jambo, id est, longa, & brevi, & brevi, & longa. Asclepiadei vocantur ab auctore: inventus enim fertur iste versus a quodam Asclepiade. Tetrametri denique, quia pedes 4 habent, quorum 1. est Spondæus, 2. & 3. Choriambus, 4. Pyrrichius, constans e 2. brevibus:

Mæce-nas atavis-edite Re-gibus.

Potest etiam aliter idem versus dividi, si nempe interponatur cæsura in medio,

Ma-

Maecenas ata-vis-edite-Regibus.

Porro cum Ode unius generis versibus ita constat; vocatur Monocolos: quæ vox Græca significat, esse partes omnes unius formæ ac speciei. Quando duplicis generis sunt versus in Ode, vocatur illa Dicolos: quando triplicis, Tricolos: quadruplicis, Tetracolos, &c.

Rursum, quando versus iidem & ejusdem generis recurrunt, si alternis id fiat, id est, si post alterum quemque versum; vocatur Ode Distrophos, quæ vox Græca id significat; si post tertium quemque versum, Tristrophos; si post quartum, Tetrastrophos: quia ille ordo versuum, qui identidem revertitur, Græcis est *Strophe*.

Denique si pes nullus, nulla syllaba desit, aut abundet, versus vocatur Acatalectus: si desit una syllaba, vocatur Catalectus: si pes totus desit, Brachycatalectus: si abundet unus pes, Hypercatalectus, vel Hypermeter.

II. Genus Odarum est earum, in quibus primi quinque tres versus sunt Hendecasyllabi (hoc est undecim syllabarum) Sapphici (a Sappho inventi) Acatalecti, sive quibus nihil deest: Pentametri, sive quinque pedibus constantes, quorum 1. est Trochæus, 2. Spondæus, 3. Dactylus, 4. & 5. Trochæi. Quartus autem quisque versus est Adonius (ab Adone inventus) Dimeter, hoc est, 2. constans pedibus, nempe Dactylo, & Spondæo. Talis est Ode 2. lib. 1. apud eumdem Horatium:

Jam sa tis ter-ris nivis- atque- dira:

Similes sunt duo sequentes; quartus:

Terruit orbem.

Tota Ode est Dicolos Tetrastrophos.

III. Genus, Ode Dicolos Distrophos, in qua primus quisque versus est Choriambicus Glyconius (ab Glycone inventore) Acatalectus, Trimeter, id est, pedes ternos habens: quorum pri-

primus est Spondeus, 2. Choriambus, 3. Pyrrichius. Secundus vero quisque versus est Asclepiadæus, de quo dictum est in primo genere Odarum. Talis est Ode 3. Lib. 1.

Sic te-Diva-potens-Cypri,
Sic fra-tres Hele-na-lucida-sidera.

IV. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus quisque versus est Dactylicus, Archilochius, Heptameter. Dactylicus dicitur, quia in eo maxime regnat pes Dactylus. Archilochius, quia inventus, & usurpatus ab Archilocho Poeta Græco Lyrico: Heptameter, quia 7. constat pedibus, quorum 4. primi sunt Dactyli, mixtis tamen ad arbitrium, ut in versu Heroico fit, Spondeis, tres postremi semper sunt Trochæi. Secundus vero quisque versus, Jambicus, Hexameter, Catalectus constans sex pedibus, dempta una syllaba. Primus est Spondæus, vel Jambus, 2 Jambus, 3. Spondæus, 4. 5. & 6. Jambi. Talis est Ode 4. Lib. 1.

Solvitur-acris hi-ems gra-ta vice-veris-. & Fa-voni,
Trahunt-que sic-cas ma china-cari-nas.

Secundus versus aliter explicari potest, nempe interposita in medio versu cæsura; & sic tres pedes ultimi erunt Trochæi:

Trahunt-que sic-cas machi-na ca-rinas.

V. Ode Tricolos Tetrastrophos: in qua primi quique duo versus sunt Asclepiadæi, qualis est in primo genere explicatus. Tertius autem quisque, Pherecratius, authore Pherecrate sic dictus: Heroicus, quia videtur esse pars versus Heroici, seu Hexametri: Trimeter; quia tres pedes habet, Spondæum, Dactylum, Spondæum. Quartus quisque est Glyconius: de quo dictum in 3. genere. Talis est Ode 12. lib. 1.

O na-vis refe-rent-in mare-te novi-
Fluctus: o quid a-gis? -fortiter-occupa-

Portum: -nonne vi-des, ut
Nudum-remigi-o latus,

VI. Ode Dicolos Tetrastrophos: Primi quique tres versus sunt Asclepiadei, quartus Glyconius. Talis est Ode 5. libri 1.

Scriberis Vario, &c.

VII. Dicolos Distrophos. Primus versus est Hexameter; secundus est Dactylicus Alcmanius, Tetrameter. Dicitur Dactylicus, quia frequentiores in eo sunt Dactyli; Alcmanius, quia inventus ab Alcmane, Græco poeta; Tetrameter, quia 4. habet pedes, nempe similes 4. ultimis versibus Heroicis Hexametri. Talis est Ode 6. lib. 1.

3. *Lauda-bunt ali-i cla-ram Rhodon aut Mity-lenem,*
Aut Ephe-sum, bima-risve Co-rinthi, &c.

VIII. Ode Dicolos Distrophos. Primus quisque versus est Aristophanius, Dimeter, constans e duobus pedibus, nempe Choriambo, & Bacchio. Pes autem Bacchius ita dicitur, quia in hymnis Bacchi sæpe adhibebatur: constat ex una brevi, & 2. longis. Talis est versus Ode 7. lib. 1.

Lydia dic per omnes.

Aristophanius appellatur, ab authore illius Aristophane, poeta Comico, apud Græcos celeberrimo. Secundus quisque versus est Alcaicus, (ab Alceo inventus) Tetrameter, quia 4. pedes habet. Primus est Epitritus, 2. & 3. Choriambus, 4. Bacchius.

Te Deos o-ro, Sibarim-cur properes-am-ando.

Porro pes Epitritus ita vocatur, qui supra 3. syllabas, unam habet. Quadruplex est: 1. ex Jambo, & Spondeo compositus, ut *voluptates*. 2. ex Trocheo, & Spondeo, ut *concitatas*. 3. e Spondeo, & Jambo, ut *communicant*. 4. e Spondeo, & Trochæo, ut *expectare*. Potest hujus

jus Odæ primus versus aliter dividi, nempe:

Lidia -dic per-omnes.

IX. Ode Alcaica Tricolos Tetrastrophos. Dicitur Alcaica, quia inventa fuit ad Alcæo, Lyrico poeta clarissimo. Primi quique duo versus sunt Jambici Senarii Brachycatalecti, qui appellari quoque possunt Dactylici Pentametri Catalecti. Constant illi ex Jambo, vel Spondeo, deinde Jambo, postea Spondeo, tum Anapesto, denique Jambo. Si aliter metiaris, ac esse Dactylicos velis; constabunt ex Jambo, vel Spondeo, tum Jambo, cæsura, & duobus Dactylis. Talis est Od. 3. lib. 1.

Vides-ut al-ta stet-nive can-didum.
Vides-ut al-ta-stet nive-candidum.

Tertius quisque versus est Jambicus dimeter, sive 4. pedibus constans: (nam in versibus Jambicis, una mensura duos pedes complectitur) hypercatalectus, sive abundans una syllaba, post 4. pedes.

Silvæ labo-rantes gelu-que;

Quartus quisque versus est Dactylicus Alcaicus; constans pedibus quatuor, duobus Dactylis, & duobus Trochæis.

Flumina-constite-rint a-cuto.

X. Ode Monocolos, in quo sunt omnes versus Choriambici Alcaici Pentametri; qui constant e Spondeo, tribus Choriambis, & Pyrrichio. Talis est Ode 10. lib. 1.

Tu ne quæsieris-scire nefas-quem mihi, quem tibi:

Potest etiam dividi versus iste aliter, cæsuris interpositis:

Tu ne quæsie-ris scire ne-fas-quem mihi-quem tibi.

XI. Ode Dicolos Distrophos; in qua primus

quiſque verſus eſt Jambicus dimeter Catalectus: conſtat enim 4. pedibus; ſed una ſyllaba deeſt, nempe prima. Talis eſt Ode 15. lib. 2.

Non-ebur-nequ' au-reum.

Si velis pendulam, & abundantem ſyllabam in finem verſus rejicere, facies ex Jambico Trochaicum, & ſic metieris.

Non e-bur nequ-aure-um.

Secundus verſus eſt Jambicus Trimeter Catalectus, conſtans 6. pedibus, dempta una ſyllaba.

Mea reni-det in-domo lacu-nar.

XII. Ode Dicolos Diſtrophos: in qua primus quiſque verſus eſt Heroicus Hexameter; ſecundus quiſque eſt Dactylicus Dimeter Hypercatalectus, conſtans 2. Dactylis & ſyllaba. Talis eſt Ode 6. lib. 4.

Diffu-gere ni-ves, rede unt jam gramina campis
Arbori-buſque co-ma.

XIII. Ode Dicolos Diſtrophos: in qua primus verſus eſt Jambicus Trimeter, ſive ſex pedibus conſtans; ſecundus Jambicus dimeter, duabus conſtans menſuris, ſive pedibus 4. Ejus generis eſt Ode I. Epodon:

Ibis-Libur-nis in-ter al-ta na-vium,
ami-ce, pro-pu-gnacula.

Aliud quoddam genus eſt huic ſimile, in quo pro verſu primo Jambico, ponitur Heroicus Hexameter:

Mollis i-nertia.cur tan tam diſ-fuderit-imis
obli-vio-nem ſen-ſibus.

XIV. Ode Dicolos Diſtrophos; in qua primus quiſque verſus eſt Heroicus Hexameter; ſecundus vero Archilochius Hexameter Hypercatalectus, conſtans 4. Jambis, 2. Dactylis, & una ſyllaba. Talis eſt Ode 10. Ep.

Hor-

Horrida-tempes-tas Cœlum con-traxit, & im-bres:

Nives-que de-ducunt-jovem:

Nunc mare-nunc silu-a.

Quidam hanc Oden faciunt Tricolon Triſtrophon, & ſecundum verſum in duos ſecant; quorum primus eſt Jambicus Dimeter:

Nives-que de-ducunt-jovem.

Alter eſt Dactylicus, Archilochius, de quo dictum in duodecimo genere.

Nunc mare-nunc ſil-va.

Huic affine eſt generi aliud, in quo Dactylicus Archilochius præponitur Jambico Dimetro: & in primo loco, pro Heroico Hexametro, ponitur jambicus Trimeter.

Peti, nihil me ſi-cut ant-ea, juvat-ſcribere verſicu-los,

amo-re per culſum gravi.

In quo genere, quidam duos illos verſus in unum conflant hoc modo.

Scribere-verſicu-los amo-re per-culſum-gravi.

XV. Ode Dicolos Diſtrophos, cujus primus quiſque verſus eſt Heroicus; ſecundus vero Jambicus. Talis eſt Ode 11. lib. Epod.

Altera jam teri-tur bel-lis ci-vilibus atas;

Suis-et ip-ſa Ro-ma vi ribus-ruit.

Ultimum genus eſt earum, in quibus ſunt omnes verſus Jambici Trimetri. Talis eſt Ode 17. lib. Epod. *Jam jam efficaci, &c.*

§. III. De aliis quibuſdam uſitatiorum verſuum generibus. Ex lib. IV. Proſodiæ Bononienſis. P. Jo: Baptiſtæ Ricciolii.

A*Napæſticum Archilochium* carmen eſt conſtans quatuor pedibus, quorum quilibet poteſt eſſe Anapæſtus, aut ſpondæus: primus

vero & tertius etiam dactylus. Sic exemplum ex Seneca in Herc. fur. ch. 1.

Turbine magna spes sollicita
Urbibus errant, trepidique metus,
Ille superbos aditus Regum
Durasque fores expers somni
Colit, ac nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians;
Et congesto pauper in auro est.

Qui quidem Seneca admisit secundo loco, sed raro, tribrachum & dactylum; & in illo Medeæ versu 311. in fine dactylum sic:

Non erat usus. Nondum Plejadas.

Idem in choro ejusdem Medeæ separatum Adonium subjecit.

De *Glyconio* dictum est supra. Constat spondeo & dactylis duobus. At Seneca choro 4. Oedipi tricies ponit choreum primo loco: quod & sæpe fecit Catullus: raro vero Horatius, ut in illo: *Ignis Iliacas domos.* Imo Seneca aliquando 2. loco posuit spondeum.

Anacreonticum constat tribus jambis & syllaba: recipit tamen primo loco spondeum ac anapæstum, & raro tribrachum. Utitur hoc Theocritus Idyll. 27. Anacreon vero sæpissime, ex quo illud latinitate donatum accipe:

O ter, quaterque felix,
Cicada, quæ supremis
In arborum viretis,
Roris parum ut bibisti,
Cantare dulce gaudes.

Jambicum Archilochium dimetrum acatalectum constat quatuor jambis: recipit tamen primo & tertio loco spondeum; raro autem anapæstum, aut tribrachum. Habes exempla passim in Horatio lib. epod. ubi jambis trimetris subjicit dimetros sic:

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,

Pa-

Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore, &c.

Utitur hoc Ecclesia in Hymnis. Tale est illud Sabbati ante Domin. Passionis ad Vesperas:

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Quo vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Jambicum Hiponacteum constat quinque pedibus disyllabis, & una in fine syllaba: quorum secundus, quartus, & quintus sunt jambi: primus vero & tertius vel jambi, vel spondei. Tale est illud elegantissimum:

Ternos vetusti congios falerni.
Uno die conviviis peractis,
Hausit potentum Romuli nepotum
Regnator audax, arbiterque regum:
Exinde plebs Quiritium vocavit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

Jambicum senarium, seu archilochium acatalecticum, si purum est, constat solis jambis; si mixtum, requirit locis paribus, idest, secundo, quarto, & sexto, jambum, imparibus vero, præter jambum, excipit anapæstum, tribrachum, spondeum & dactylum; imo secundo & quarto non recusat tribrachum. Tragicum vero, ut sit gravius, non debet, nisi rarissime, constare ex puris jambis: Comicum autem, modo in fine retineatur fere semper jambus, reliquis quinque locis recipit jambum, spondeum, anapæstum, tribrachum, dactylum. Exempla sint jambici puri ex Catullo:

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus.

Tragici vero jambici ex Senecæ Herc. fur. act. 2.

O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Jam statue tandem gravibus ærumnis modum.

Comici denique jambici exemplum sit ex Terentio in Andria:

Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
Accusant, quos hic noster auctores habet.
Perduxere illuc secum, ut una esset meum:
Nihil ista opus est arte ad hanc rem, quam paro:

Et in Eunuchi prologo:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quamplurimis, & minime multos lædere,
In his Poeta hic nomen profiteri vult suum.

Phaleucium hendecasyllabum est, & constat spondeo, dactylo, & tribus choreis. Martialis l. 1.

Hic est, quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus atque sentienti,
Rari post cineres habent Poetæ.

Admittit tamen aliquando prima in sede jambum; ut apud Catullum pene tricies; apud Martialem fortasse non nisi semel in illo libri. 3. epigr. 21.

Veterno resinaque pigriores.

Apud eumdem Catullum primo loco videbis choreum, & quidem duodecies: & ibidem dactylum bis, anapæstum semel. Apud Senecam vero in Oedipi 2. Choro anapæstum secundo loco.

De *Sapphico* item dictum est paragrapho superiore. Hic addam nonnulla. Solis sapphicis Catullus, Seneca, Statius usi sunt, Adonio non interjecto. Secunda sede, pro spondeo, Sappho inventrix, & Catullus non semel, & Seneca choreum adhibuere. Sit exemplum ex Catullo.

Otium, Catulle, tibi molestum est.
Seu Sacas sagittiferosque Parthos.

Quid? quod Sappho quarto loco spondeum, raro tamen, posuit, ut docet Gretserus, & secundo

loco

loco dactylum? quod fecit Seneca in choro actus 3. Medeæ, & in choro actus 3. Troadis sic:

Sumere innumeras solitum figuras,
An ferax varii Lapidis Carystos.

Imo idem Seneca, teste Martino Delrio, primo loco admisit spondeum, dactylum, & anapæstum; & secundo jambum.

Scazon, seu Choliambicum carmen est jambicum senarium, sed claudicans, quia loco ultimi jambi habet spondeum, ita tamen ut penultimo loco sit jambus. In cæteris servat leges jambici Senarii: atque adeo in secunda & quarta sede habet jambum vel tribrachum; in prima & tertia jambum, aut spondeum, aut etiam anapæstum, & dactylum, quia tempore sunt compares spondeo, quum duæ breves uni longæ æquivaleant; & tribrachium, quia compar est jambo. Pro exemplo sit illud Persii:

Nec labra fonte prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic Poeta prodirem.
.... Quod si dolosi spes refulserit nummi
Corvos Poetas & Poetridas Picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Hoc *melos* torquet Grammaticos: est enim jambus in ultima sede contra leges Scazontis. Manutius, Emmanuel, & Gretserus putant imitatione Græcorum productam primam in μέλος, sicut ab Homero producta fuit in hymnis. Politianus legendum censet *nectar*. Alii alia.

Trochaicum Alemanium dimetrum est & acatalectum, constatque quatuor trochæis, recipit tamen secundo & quarto loco spondeum & primo loco pyrrichium. Tale illud Ecclesiæ:

Pange lingua gloriosi. Tale & illud Catulli *Age, cuncta nuptiali.*

Trochaicum Hipponacteum est tetrametrum acat-

Nectat olivam:
Tum sua Nereo.
Lætus uterque
Gaudia portet.
Turca mari fugit atque terra;
Curre, fama, clange, clama,
Gaudiaq; extremum, & plausus, & carmina longe
Differ in orbem.

§. V. De Symbolo Heroico.

Symbolum Heroicum, Italis vulgo *Impresa*, Gallis, *une Divise*, definitur picta metaphora, sive imago quædam picta, significans rem aliam non pictam, propter utriusque similitudinem, addita voce seu sententia, quæ utriusque connexionem ostendat. Exempli caussa Sol pictus cum hac epigraphe, *Sufficit Orbi*: recte designat Imperatorem aliquem Romanum, v. gr. Cæsarem Augustum: sicut enim sol satis habet lucis ad Orbem totum collustrandum, & caloris ad fovendum; sic Augustus satis habuit sapientiæ ad gubernandum orbem, & potentiæ ad continendum. Figura picta, corpus symboli appellatur: Verba seu sententia, dicitur anima: ut enim homo constat ex anima & corpore, ita symbolum heroicum componitur ex figura & verbis. Ubi nulla intercedit similitudo inter figuram pictam & rem illa significatam, nullum est symbolum proprie ac vere dictum. Itaque illud Caroli V. *Plus ultra*, sententia est, non symbolum. Inter figuras, e quibus symboli corpus constat, negant periti locum esse humano corpori vivo: Statuam, quæ corpus repræsentet, adhiberi posse non negant: v. gr. si statuam ponas, quam sculptor crebris ictibus format, politque; & addas: *Perficitur dum caditur*: Recte sic exprimas virum probum, qui rebus adversis ad virtutem proficit.

Figuræ sumuntur e rebus naturalibus, iisque vulgo notis non fabulosis, aut peregrinis.

Vo.

Voces, quæ figuræ adduntur, & ejus similitudinem cum re significata indicant, non solum Latino Græcoque sermone, sed etiam vulgari & vernaculo scribi possunt. Placent in primis hemistichia, sive partes primæ, aut ultimæ alicujus versus, v. gr. Hexametri. Videndum ut voces illæ sint paucæ, claræ, & accommodatæ rei quæ significatur. Interdum optativo efferuntur modo: nonnunquam infinito: fere indicativo.

Res significata exprimi non debet in ipsis, quæ Lemma, sive Epigraphem componunt, verbis; sed generali quodam efferri modo, qui conveniat figuræ significanti, & rei significatæ. Sic, pone lucernam, adde, *Lucet, & ardet:* significabis S. Joannem Baptistam, aut quemvis Apostolicum virum; quod enim proprie convenit lucernæ, ut ardeat & luceat, hoc per metaphoram congruit viro Apostolico. Aliquando figura ipsa loquens inducitur. Sic idem vir Apostolicus virtutum fama & prodigiorum peccatores blande trahens significabitur, si magnetem pingas cum hoc lemmate, seu inscriptione: *Ad me dura traho.*

Placet milites laudare, quos Regis præsentis exemplum accendit ad rem bene gerendam? Pingo pullos aquilæ, solem adversum intuentes, cum hoc lemmate: *Crescunt Vires animique videndo.* Vir dives & probus insigni aliqua dignitate auctus, notabitur flumine majori alveo decurrente: *Utilior, quo major.* Princeps fœmina ad solium evecta signabitur picta luna & plena: *In publica commoda crevit.*

Victoriam de Turcis anno 1716. felicissime reportatam, CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi auspiciis, precibus, & consiliis, ita describit Romanus vates: Exhibet regem apum, qui aculeo carere dicitur, fucos alveari abigentem: Subjicit hæc verba: *Vincit inermis.*

D. In quo Emblema discrepat a symbolo Heroico, cui videtur esse simillimum?

M. In

M. In hoc maxime discrepat, quod Emblemate significantur quæcumque ad virtutem, pietatem, & mores pertinent: neque tam religiose observantur in eo leges Symbolis heroicis præscriptæ. De voce si quæris, Emblema, Græca vox, significat elegans opus, arte & manu elaboratum, quod mensæ, pavimento, vasis, & parietibus inseritur & immittitur; quales sunt figuræ Hieroglyphicæ, tessellatæ imagines, & alia id genus.

CAPUT V.

Acrostichis, Anagramma, Griphus, &c.

§. I. De Acrostichide.

D. QUid est *Acrostichis*, & *quomodo fit?*
M. Acrostichis Græca vox est, & significat breve poema, in quo primæ cujusque versus litteræ nomen aliquod, sive sententiam exhibent. Exempli caussa, si S. Carolum laudare velis, primi carminis prima Littera erit C. secundi A. tertii R. quarti O. quinti L. sexti U. septimi S. Ita primæ cujusque Versus litteræ, seorsim sumptæ, dabunt vocem *CAROLUS*. Sic nomen Sacrum JESUS offeret Acrostichis;

I lle, sacrum cujus legis hoc in carmine nomen;
E Virginis castæ sinu
S ervator mundi, nostrum productus in orbem;
U t omnibus vitam daret,
S e moriens totum indulsit mortalibus ægris.

Sic in omnium Sanctorum laudem vates recentior hanc sententiam Acrostichide explicuit:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta:
Jam sua; nos alia ex aliis in bella vocamur.

Vivite

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua, securam cælestes ducite vitam.
Valles Elysias læti, saltusque beatos
Incolite; æternis eja indulgete choreis,
Tellure optata tandem, portuque potiti;
Erepti ex undis pelagi, ridere furentes
Fluctus, & ventos, tempestatesque sonoras,
Et quicquid sævum Neptunia monstra minantur:
Lætantes Scyllam effugisse, trucemque Charybdim;
Irasque undisoni horrendas, rabiemque tridentis.
Cantibus ætheriam mulcete perennibus aulam,
Et Pæana simul canite, æternumque triumphum,
Succis ambrosiæ saturati, & nectaris haustu, &c.

Interdum geminatur Acrostichis, ita ut extrema cujusque versus littera sit eadem ac prima: ut, si dicas:

Ille, sacrum cujus nomen tibi carmine pinxI
E missus alto ex ætherE, &c.

Totum hoc carminis genus laboriosum est & exiguæ frugis.

§. II. De Anagrammate.

D. Quid vocas *Anagramma*?

M. Anagramma fit, cum ex alicujus nomine eruitur aliqua sententia in ejus laudem, aut vituperationem, servatis nominis litteris, sed vatis arbitrio transpositis. Licet unam, alteramve addere, aut mutare litteram. Exempla subjicio. Logica, *Caligo*; Ursula, *Laurus*; Calvinus; *Lucianus*; Corpus, *Porcus*; Sacramentum Eucharistiæ, *Characteres in JESUM mutata*. Ignatius de Lojola, *O ignis a Deo illatus*. Sic lusit vates in Galenum. Galenus: *Angelus*.

Angelus es: bonus anne malus, Galene? salutis
  Humanæ custos: Angelus ergo bonus.
Humanam tamen heu! quoties, Galene, salutem
  Arte mala turbas! Angelus ergo malus.

Gre-

Gregorius decimus quartus.
Murus custodiaque gregis.

Ni Dominus alto cinxerit muro domum;
Cingentis est vanus labor:
Nisi sit ovilis tutor & custos Deus,
Frustra excubat pastor vigil.
Gaudere fas est, missus e cœlo *gregi*.
Est *Murus & custodia*.

Vir pie ingeniosus, & ingeniose pius, centum anagrammata pura in laudem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ ante aliquot annos deprompsit ex illis verbis *Ave Maria gratia plena*. Pura vocantur anagrammata, in quibus nulla mutatur littera, nulla additur, vel demitur.

§. III. De Gripho, Logogripho, & Inscriptione.

D. Rescire cupio quid sibi velint ista voces; quibus nostra vulgo schola personant, Griphus, Logogriphus, &c.?

M. Griphus aliud nihil est, quam ænigma scripto adumbratum, sed obscurius tamen & intricatius, adeo ut negotium facessere homini, etiam acuto, possit. Nomen invenit a voce græca γρῖφος, Latine, *rete*, quia explicantes implicat, irretitque: sic appellatur etiam quælibet obscura propositio, præsertim jocosa & ludicra. Suppeditabit exempla P. Laurentius *Le Brun* in sua eloquentia Poetica.

Logogriphus non versatur in rebus ipsis, erudito vocum, aut colorum velo tegendis, sed in ipsis vocibus celandis, earum syllabas, aut litteras resecando, trajiciendo, & varie commutando. Sic in voce, *Ovis*, si demas primum elementum, restabit *vis*, unde natus versiculus:

Imbellis tota est, caput exime, vis erit illi.

Sic a verbo *navem* si tollas primam, & ultimam lit-

litterulam, habebis *Ave*: unde aliquis ad amicum scribens ajebat: *Mitto tibi navem prora puppique carentem*.

In vocabulo *Aper* invenies *pera*, *aer*, *per*. Hujus obscuritatis acumen quia in meris vocibus consistit, logogriphus appellatur, quasi dicas vocis ambages & lusus.

Griphus vocantur figuræ, voces, litteræ, quæ sua dispositione, numero, actione, vel colore, verbum, sensum, parœmiam, aut aliud quidpiam exprimunt, non sine aliquo sale. Ita Cupidinem aliquis pinxit, qui Orbem terrarum ligat, cum hoc lemmate, *Omnia vincit amor*. Hoc genus facile in pueriles ineptias excidit.

D. Libenter aliquid audirem de Inscriptione, quam a te prætermissam esse miror.

M. Non est illa tantum opus Poetarum, sed etiam Oratorum, etsi versum non respuat. Duplex illius dos; Brevitas & Perspicuitas. Optima est quæ necessaria personæ, loci, temporis, & modi adjuncta paucis complectitur. Parco exempla congerere, quæ totis collecta voluminibus leguntur.

F I N I S.

I N-

INDEX CAPITUM.

Elementa Rhetoricæ.

§. XV.

LIBER I.

De Elocutione.

§. IV.

Comici denique jambici exemplum sit ex Terentio in Andria:

Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
Accusant, quos hic noster auctores habet.
Perduxere illuc secum, ut una esset meum:
Nihil ista opus est arte ad hanc rem, quam paro:

Et in Eunuchi prologo:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quamplurimis, & minime multos lædere,
In his Poeta hic nomen profiteri vult suum.

Phaleucium hendecasyllabum est, & constat spondeo, dactylo, & tribus choreis. Martialis l. 1.

Hic est, quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus atque sentienti,
Rari post cineres habent Poetæ:

Admittit tamen aliquando prima in sede jambum; ut apud Catullum pene tricies; apud Martialem fortasse non nisi semel in illo libri. 3. epigr. 21.

Veterno resinaque pigriores:

Apud eumdem Catullum primo loco videbis choreum, & quidem duodecies: & ibidem dactylum bis, anapæstum semel. Apud Senecam vero in Oedipi 2. Choro anapæstum secundo loco.

De *Sapphico* item dictum est paragrapho superiore. Hic addam nonnulla. Solis sapphicis Catullus, Seneca, Statius usi sunt, Adonio non interjecto. Secunda sede, pro spondeo, Sappho inventrix, & Catullus non semel, & Seneca choreum adhibuere. Sit exemplum ex Catullo:

Otium, Catulle, tibi molestum est,
Seu Sacas sagittiferosque Parthos.

Quid? quod Sappho quarto loco spondeum, raro tamen, posuit, ut docet Gretserus, & secundo

loco

loco dactylum? quod fecit Seneca in choro actus 3. Medeæ, & in choro actus 3. Troadis sic:

Sumere innumeras solitum figuras,
An ferax varii Lapidis Carystos.

Imo idem Seneca, teste Martino Delrio, primo loco admisit spondeum, dactylum, & anapæstum; & secundo jambum.

Scazon, seu Choliambicum carmen est jambicum senarium, sed claudicans, quia loco ultimi jambi habet spondeum, ita tamen ut penultimo loco sit jambus. In cæteris servat leges jambici Senarii: atque adeo in secunda & quarta sede habet jambum vel tribrachium; in prima & tertia jambum, aut spondeum, aut etiam anapæstum, & dactylum, quia tempore sunt compares spondeo, quum duæ breves uni longæ æquivaleant; & tribrachium, quia compar est jambo. Pro exemplo sit illud Persii:

Nec labra fonte prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic Poeta prodirem?
.... Quod si dolosi spes refulserit nummi
Corvos Poetas & Poetridas Picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Hoc *melos* torquet Grammaticos: est enim jambus in ultima sede contra leges Scazontis. Manutius, Emmanuel, & Gretserus putant imitatione Græcorum productam primam in μέλος, sicut ab Homero producta fuit in hymnis. Politianus legendum censet *nectar*. Alii alia.

Trochaicum Alemanium dimetrum est & acatalectum, constatque quatuor trochæis, recipit tamen secundo & quarto loco spondeum & primo loco pyrrichium. Tale illud Ecclesiæ:

Pange lingua gloriosi. Tale & illud Catulli *Age, cuncta nuptiali*.

Trochaicum Hipponacteum est tetrametrum aca-

talecticum, & constat octo pedibus, quorum impares sunt trochei; reliqui aut trochei, aut spondei: apud Comicos vero, omnibus locis recipit compares spondeo, nempe anapæstum & dactylum: & compares trocheo, nempe jambum & tribrachum, excepto ultimo. Sit exemplum purioris.

Pelle tonsis terga Ponti, vela tende, jam pergamus.

Trochaicum Galliambicum, tetrametrum est, constatque vel trocheis, vel partim trocheis, partim Pyrrichiis, & raro admittit pedes his compares. Exemplum esto illud Catulli:

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Alia versuum genera, quæ sunt innumerabilia; si velis cognoscere, adito Servium; & Terentianum in Centimetro: Nebrissensem lib. 8. c. 8. Despauterium lib. 5. Scaligerum in Poetica, lib. 2. &c. Pauca modo de Dithyrambo subnectam.

§. IV. De Dithyrambo.

Dithyrambus canebatur in honorem Bacchi; a quo nomen est sortitus. Bacchus enim ab antiquis dictus est Dithyrambus, quasi duabus januis in lucem emissus. Fabulas consule. Bacchum igitur, India perdomita, redeuntem in Græciam Satyri cum Mænadibus comitati sunt. Hi vino graves, & mente ac voce parum constantes, carmine sine modo ac numero victori Baccho decantabant. Illos imitati Poetæ, & entheo furore correpti, carmina quędam audaci, tumido, vario stylo, scripsere, quo canere modo ebriosi solent, permixtis in unum versibus omnis generis & metri. Hæc origo Dithyramborum, & forma. Exemplum habes in Seneca Tragœdo, post secundum Actum Tragœdiæ, cui nomen facit *Oedipus*. Chorus, qui actum illum sequitur, merus est Dithyrambus: *Effusam redimite comam.*

Vates recentior partam de Turcis victoriam

anno 1716. hoc genere carminis celebravit: Quos enim effert lætitia, ii mentis & vocis ægre sunt compotes.

Surge, Phœbe, pone curas,
Sume plectra, funde lætum
Ore carmen, usitatis
Parce modis agitare cantus:
Clio docta cur moratur?
Cur Thalia lenta cessat?
Otiosa cur sororum
Turba monte torpet alto?
Huc adeste, convolate,
Queis Apollo labra sacro
Fonte tingit, huc adeste,
Turca mari fugit atque terra.
Huc proterva turba, Fauni,
Huc, amœna turba, Nymphæ:
Ferte serta, ferte flores,
Turca mari jacet, atque terra.
Ferte sistra, barbitosque,
Fistulasque, tibiasque,
Et canendo, lusitando,
Saltitando prædicate:
Turca mari fugit atque terra.
Audiat Æther,
Gaudeat Æther;
Te Duce, Clemens,
Roma triumphet;
Turca mari jacet atque terra.
Itala festis
Æra resultent
Undique templis:
Turca mari fugit atque terra.
Audiat Ister
Littora multo
Flore coronet.
Plaudat Iberus,
Et Tagus almam
Vertice flavo,

Nectat olivam:
Tum sua Nereo
Lætus uterque
Gaudia portet.
Turca mari fugit atque terra:
Curre, fama, clange, clama,
Gaudiaq; extremum, & plausus, & carmina longe
Differ in orbem.

§. V. De Symbolo Heroico.

SYmbolum Heroicum, Italis vulgo *Impresa*, Gallis, *une Divise*, definitur picta metaphora, sive imago quædam picta, significans rem aliam non pictam, propter utriusque similitudinem, addita voce seu sententia, quæ utriusque connexionem ostendat. Exempli caussa Sol pictus cum hac epigraphe, *Sufficit Orbi*: recte designat Imperatorem aliquem Romanum, v. gr. Cæsarem Augustum: sicut enim sol satis habet lucis ad Orbem totum collustrandum, & caloris ad fovendum; sic Augustus satis habuit sapientiæ ad gubernandum orbem, & potentiæ ad continendum. Figura picta, corpus symboli appellatur: Verba seu sententia, dicitur anima: ut enim homo constat ex anima & corpore, ita symbolum heroicum componitur ex figura & verbis. Ubi nulla intercedit similitudo inter figuram pictam & rem illa significatam, nullum est symbolum proprie ac vere dictum. Itaque illud Caroli V. *Plus ultra*, sententia est, non symbolum. Inter figuras, e quibus symboli corpus constat, negant periti locum esse humano corpori vivo: Statuam, quæ corpus repræsentet, adhiberi posse non negant: v. gr. si statuam ponas, quam sculptor crebris ictibus format, politque; & addas: *Perficitur dum caditur*: Recte sic exprimas virum probum, qui rebus adversis ad virtutem proficit.

Figuræ sumuntur e rebus naturalibus, iisque vulgo notis non fabulosis, aut peregrinis.

Vo.

Voces, quæ figuræ adduntur, & ejus similitudinem cum re significata indicant, non solum Latino Græcoque sermone, sed etiam vulgari & vernaculo scribi possunt. Placent in primis hemistichia, sive partes primæ, aut ultimæ alicujus versus, v. gr. Hexametri. Videndum ut voces illæ sint paucæ, claræ, & accommodatæ rei quæ significatur. Interdum optativo efferuntur modo: nonnunquam infinito: fere indicativo.

Res significata exprimi non debet in ipsis, quæ Lemma, sive Epigraphem componunt, verbis; sed generali quodam efferri modo, qui conveniat figuræ significanti, & rei significatæ. Sic, pone lucernam, adde, *Lucet, & ardet*: significabis S. Joannem Baptistam, aut quemvis Apostolicum virum; quod enim proprie convenit lucernæ, ut ardeat & luceat, hoc per metaphoram congruit viro Apostolico. Aliquando figura ipsa loquens inducitur. Sic idem vir Apostolicus virtutum fama & prodigiorum peccatores blande trahens significabitur, si magnetem pingas cum hoc lemmate, seu inscriptione: *Ad me dura traho*.

Placet milites laudare, quos Regis præsentis exemplum accendit ad rem bene gerendam? Pingo pullos aquilæ, solem adversum intuentes, cum hoc lemmate: *Crescunt Vires animique videndo*. Vir dives & probus insigni aliqua dignitate auctus, notabitur flumine majori alveo decurrente: *Utilior, quo major*. Princeps fœmina ad solium evecta signabitur picta luna & plena: *In publica commoda crevit*.

Victoriam de Turcis anno 1716. felicissime reportatam, CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi auspiciis, precibus, & consiliis, ita describit Romanus vates: Exhibet regem apum, qui aculeo carere dicitur, fucos alveari abigentem: subjicit hæc verba: *Vincit inermis*.

D. In quo Emblema discrepat a symbolo Heroico, cui videtur esse simillimum?

M. In

M. In hoc maxime discrepat, quod Emblemate significantur quæcumque ad virtutem, pietatem, & mores pertinent: neque tam religiose observantur in eo leges Symbolis heroicis præscriptæ. De voce si quæris, Emblema, Græca vox, significat elegans opus, arte & manu elaboratum, quod mensæ, pavimento, vasis, & parietibus inseritur & immittitur; quales sunt figuræ Hieroglyphicæ, tessellatæ imagines, & alia id genus.

CAPUT V.

Acrostichis, Anagramma, Griphus, &c.

§. I. De Acrostichide.

D. QUid est Acrostichis, & quomodo fit?

M. Acrostichis Græca vox est, & significat breve poema, in quo primæ cujusque versus litteræ nomen aliquod, sive sententiam exhibent. Exempli caussa, si S. Carolum laudare velis, primi carminis prima Littera erit C. secundi A. tertii R. quarti O. quinti L. sexti U. septimi S. Ita primæ cujusque Versus litteræ, seorsim sumptæ, dabunt vocem *CAROLUS*. Sic nomen Sacrum JESUS offeret Acrostichis;

I lle, sacrum cujus legis hoc in carmine nomen;
E Virginis castæ sinu
S ervator mundi, nostrum productus in orbem;
U t omnibus vitam daret,
S e moriens totum indulsit mortalibus ægris.

Sic in omnium Sanctorum laudem vates recentior hanc sententiam Acrostichide explicuit:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua; nos alia ex aliis in bella vocamur.

Vivite

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua, securam cælestes ducite vitam.
Valles Elysias læti, saltusque beatos
Incolite; æternis eja indulgete choreis,
Tellure optata tandem, portuque potiti;
Erepti ex undis pelagi, ridere furentes
Fluctus, & ventos, tempestatesque sonoras,
Et quicquid sævum Neptunia monstra minantur;
Lætantes Scyllam effugisse, trucemque Charybdim;
Irasque undisoni horrendas, rabiemque tridentis.
Cantibus ætheriam mulcete perennibus aulam,
Et Pæana simul canite, æternumque triumphum,
Succis ambrosiæ saturati, & nectaris haustu, &c.

Interdum geminatur Acrostichis, ita ut extrema cujusque versus littera sit eadem ac prima: ut, si dicas:

Ille, sacrum cujus nomen tibi carmine pinxI
E missus alto ex ætherE, &c.

Totum hoc carminis genus laboriosum est & exiguæ frugis.

§. II. De Anagrammate.

D. Quid vocas *Anagramma?*

M. Anagramma fit, cum ex alicujus nomine eruitur aliqua sententia in ejus laudem, aut vituperationem, servatis nominis litteris, sed vatis arbitrio transpositis. Licet unam, alteramve addere, aut mutare litteram. Exempla subjicio. Logica, *Caligo*; Ursula, *Laurus*; Calvinus; *Lucianus*; Corpus, *Porcus*; Sacramentum Eucharistiæ; *Characteres in JESUM mutata*. Ignatius de Lojola, *O ignis a Deo illatus*. Sic lusit vates in Galenum. Galenus: *Angelus*.

Angelus es: bonus anne malus, Galene? salutis
  Humanæ custos: Angelus ergo bonus.
Humanam tamen heu! quoties, Galene, salutem
  Arte mala turbas! Angelus ergo malus.

Gre-

Gregorius decimus quartus.
Murus custodiaque gregis.

Ni Dominus alto cinxerit muro domum,
Cingentis est vanus labor:
Nisi sit ovilis tutor & custos Deus,
Frustra excubat pastor vigil.
Gaudere fas est, missus e cœlo *gregi*,
Est *Murus & custodia.*

Vir pie ingeniosus, & ingeniose pius, centum anagrammata pura in laudem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ ante aliquot annos deprompsit ex illis verbis *Ave Maria gratia plena*. Pura vocantur anagrammata, in quibus nulla mutatur littera, nulla additur, vel demitur.

§. III. De Gripho, Logogripho, & Inscriptione.

D. R*Escire cupio quid sibi velint ista voces, quibus nostra vulgo schola personant, Griphus, Logogriphus, &c.?*

M. Griphus aliud nihil est, quam ænigma scripto adumbratum, sed obscurius tamen & intricatius, adeo ut negotium facessere homini, etiam acuto, possit. Nomen invenit a voce græca γρῖφος, Latine, *rete*, quia explicantes implicat, irretitque: sic appellatur etiam quælibet obscura propositio, præsertim jocosa & ludicra. Suppeditabit exempla P. Laurentius *Le Brun* in sua eloquentia Poetica.

Logogriphus non versatur in rebus ipsis, erudito vocum, aut colorum velo tegendis, sed in ipsis vocibus celandis, earum syllabas, aut litteras resecando, trajiciendo, & varie commutando. Sic in voce, *Ovis*, si demas primum elementum, restabit *vis*, unde natus versiculus:

Imbellis tota est, caput exime, vis erit illi.

Sic a verbo *navem* si tollas primam, & ultimam lit-

litterulam, habebis *Ave*: unde aliquis ad amicum scribens ajebat: *Mitto tibi navem prora puppique carentem*.

In vocabulo *Aper* invenies *pera*, *aer*, *per*, Hujus obscuritatis acumen quia in meris vocibus consistit, logogriphus appellatur, quasi dicas vocis ambages & lusus.

Griphus vocantur figuræ, voces, litteræ, quæ sua dispositione, numero, actione, vel colore, verbum, sensum, parœmiam, aut aliud quidpiam exprimunt, non sine aliquo sale. Ita Cupidinem aliquis pinxit, qui Orbem terrarum ligat, cum hoc lemmate, *Omnia vincit amor*. Hoc genus facile in pueriles ineptias excidit.

D. Libenter aliquid audirem de Inscriptione, quam a te prætermissam esse miror.

M. Non est illa tantùm opus Poetarum, sed etiam Oratorum, etsi versum non respuat. Duplex illius dos; Brevitas & Perspicuitas. Optima est quæ necessaria personæ, loci, temporis, & modi adjuncta paucis complectitur. Parco exempla congerere, quæ totis collecta voluminibus leguntur.

F I N I S.

INDEX CAPITUM.

Elementa Rhetoricæ.

§. XV.

LIBER I.

De Elocutione.

§. IV.

LIBER II.

De Inventione.

LIBER

LIBER III.

De Dispositione.

LIBER IV.

De Diversis Orationum generibus.

§. XI

LIBER V.

De Pronunciatione.

INSTITUTIONUM POETICARUM

LIBER I.

INSTITUTIONUM POETICARUM LIBER II.

De Epopæja.

INSTITUTIONUM POETICARUM LIBER III.

De Dramate.

IN-

INSTITUTIONUM POETICARUM LIBER IV.

INSTITUTIONUM POETICARUM LIBER V.

FINIS.

